
VTRO= QVE







CAE= SAR

FONS ELOQVENTIAE LVSITANO CAESARI

D·V·C·Q·

Doctor Bernardus d'Almeida

Theologus Conimbricensis.

CAVETE

Licet Saluberrimus lippis nocet:

Erumpit humilis

QVIA

Admensurã profunditatis ascendit.



VNA

SATIS

FONS
ELOQVENTIAE


Ad maiorem, ac faciliorem Scholasticorum, quacunque de re ornatè, & appositè loquendi vsum.




CONTINET

Synopsim Rhetoricarum Institutionum.
Ternariam Lauream Poetices.
Lucernam Diogenis, sive
Hominis, & Humani corporis partium Disquisitionem.
Peculiares animadversiones in Latinum sermonem
Mensam Solis opus imperfectum &c.








ROMAE.

Typis Fabij de Falco. MDCLXIV.


SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. Patri Magistri Sacri Palatij Apostolici.



O. Archiep. Patrac. Vicesg.



Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri, & Apostolici Pal. Promagist.

Ad Illuſtriſs. Dominum

D. FRANCISCVM

EMMANVELEM

LVSITANVM CAESAREM.

Præfatio.





FONTEM Eloquentiæ Illuſtriſs. Domine ad menſuram profunditatis aſcẽdentem, & ab altioribus fundamentis in lucem artificioſè adducturus, non facilis me tenuit labor ad quemnam locum eruptarum aquarum impetum deflecterem, ne ſuo Fons ſepultus flumine, vel inglorius torpeſceret, vel alienũ quærens Patrocinium

nium inſanus deerraret: in alteram fortunã incideret, ni Tuus Sapientiæ Oceanus multiplici benignitatis ſinu oſtium adaperiret ſuum, ad quod toto amne ambitiosè tendit, vt iterum duplicato cryſtallorum fœnore perennare poſſit, & quoniam ab origine inſanientis in morem ducit mobilitatẽ Tuo Patrocinio inſignitus conſtanter affluat.

Accipe & fave

C. D.

Lu-

LVSITANO CAESARI ALAS, GLADIOS, ET LEONES Pro Stemmate facienti

ΔΙΣΤΙΧΟΝ.

Dant Pennæ Gladij, Tibi Cæsar Stemma: Leones:
Pennâ Aquila es: Gladio Mars: & in arma Leo.

E L O G I V M.

Sileat Macedonum, Scipionum, & Alexandri Nomen:
Maior in Orbe extat LVSITANVS.
Mutescat Oratorum, Poetarum, & Scriptorum Fama:
Illustrior ex Emmanueli STIRPE pullulavit CÆSAR.
Quæ ne unquam exaresceret GLORIA
Novum peperit Sapientiæ FLVMEN.


Maio,

Maiorum decens Ambitio.

Tot virtutum laude conspicuus, vt eam fortunā faciat, nisi accipiat (conferētibus scilicet meritis) Lusitaniæ decus. Alia præ metu taceo, qua enim illū consequar ingenij pēna, & animi viribus, qui Gētilitias præsefert, & Aquillarum Alas & Leonum Pectora. Cum enim tacitus reputarem quid muneris suscepissem, improvisus me timor afflavit, ne rudis ingenij culpa, facundiæque indisertæ vitio detererem, quibus dignè recensendis par lingua sola mens esset: Plura scilicet illi sunt Facta, *quam mihi verba, Maiora Scriptorum* Decora, *quam Laudatoris primis adhuc latinitatis rudimentis balbutientis Encomium:*

Dicebat

Conimbricensis D.



PROGRAMMA
ad Lectores.






XPLICATAM Zenonis *manum in pugnum, & condylos extringimus, ut facilior captu ſit: plenam Clitomachi lunam in orbem dimidiũ contrahimus, ne vos terreat fulgentibus ad plenum cornibus: mellitum Diogenis laqueum in ſpiras replicamus, ut quo minor fuerit, eo veſtrates illaqueet mentes: Auguſtam dicendi Artem, anguſtà admodum, & paupertinà Synopſi claudimus, ut & operi pretium faciamus, & Lectorum guſtui condimentum, huic enim tantum ſapere viſa eſt dictionis caſtigata facunditas ſtylo,*

quæ depasta luxuries, forte quia frugi, audire cupit, si ad uberem nauseet verborum frugem. Sic vestrum duxi studere genio, ut breuitatis illecebrà aduersus Rhetoricam, afficiantur ingenia. Verum ut qui placenti articulos noui, omnes impleam docendi numeros: Phrygiorum in morem opus contexam è veterum scitis; attamen nullius addictus iurarem verba magistri; plura siquidem abeunt extra sanctiores leges Rhetoricæ; quibus sola fidem maiorum consecrauit opinio: Sybolum dedi; superest ut hoc qualecunque laboris dulcissimorum fructuum compenset utilitas.





SYNOPSIS RHETORICARVM INSTITVTIONVM.

Caput I.

Rhetoricæ Apparatus.



HETORICA. eſt Ars vel doctrina bene atque ornatè dicendi.

Dicere. eſt optimis ſententijs, verbiſq; lectiſſimis habere orationem.

Finis. eſt vis, ſeu poteſtas perſuadendi.

Materia, quæcunque res vel quæſtio ad dicendum propoſita.

Quæſtio bipartitur in Infinitam & Definitam.

Infinita (quæ græcè θέσις latinè Præpositum & Conclusio appellari solet.)

Est quæstio communis: Vt cum quæritur. An expediat Lusitanis bellum gerere?

Definita (quæ dicitur græcè ὑπόθεσις latinè Causa vel Controuersia.)

Est quæstio priuata: Vt cum disseritur: An præcox Serenissimi Theodosij fatum deflendum sit?

Rursus Definita diuiditur in tria, quæ vocant, causarum genera.

Primum Demonstrativum, vel Exornativum, aut Epidicticum, in quo Orator laudat vel vituperat.

Secundum Deliberativum, in quo suadet vel dissuadet.

Tertium Iudiciale, in quo accusat vel defendit.

In horum quolibet triplex inuenitur status, siuè Constitutio, (quæ est Quæstio, Orta ex Causarum conflictione.)

Status sunt. An sit. Quale sit. Quid sit. idest; Coniectura, Finitio, Qualitas. Ex. G. Rem patriam dissipasti? non dissipaui. Hinc oritur Coniectura: An dissipauerit. Substulisti pecunias ex Æde Iouis? Es igitur sacrilegij reus: Substuli quidem, sed priuatas; non sum sacrilegij, sed furti reus: Hinc surgit Finitio Quid sit Sacrilegium, quid Furtum.

Oc-

Occidisti Clodium? Occidi, sed pernicialem Reipub. iure igitur occidi. De qualitate hic agendum est. An iure occiderit.

Rhetoricæ Partes.

QVot Charites, tot sunt Rhetoricæ Partes.

Scilicet Inuentio, Dispositio, & Elocutio.

Memoria spectat ad Dispositionem: prætérquam sit reliquis Artibus communis.

Pronuntiatio (græcè ὑπόκρισις) comes tantum est Elocutionis, nisi malis, esse Histrionicæ Artis peculiarem.

Caput II.

Consideratio Inventionis.

INventio est ratio excogitandi argumenti, seu veri, seu verisimilis, ad probandam Quæstionem, vel Orationem.

Argumentum. Est probabile quæstionis inuentum faciendæ fidei accommodatum.

Duplex datur Argumenti genus. Alterum Artificiosum vel Insitum, Inartificiosum vel Remotum alterum.

Loci vnde eruitur Argumentum Artificiosum sexdecim reperiuntur.

Scilicet Descriptio, Destributio, Notatio, Coniugata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Adiuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causæ, Effecta, Comparatio Maiorum, Parium, aut Minorum.

Loci vnde deducitur Argumentum Inartificiosum sunt: Testimonia: vel Diuina, vt Oracula, Præsagia, & Responsa. Vel Humana, vt Leges, Testes, Pacta, Tormenta, Iusiurandum, Præiudicia, Rumores, Tabulæ, Prouerbia, Sententiæ Authorum.

Loci vnde eruitur Argumentum Artificiosum.

EX prioribus locis sic conficiuntur Argumenta, (vberius tamen, quam Philosophi, ad quod non opus est, particula Illationis:)

A Descriptione, quæ rei naturam explicat, sic conficies: Gloria est laus rectè factorum, magnorumq; in Rempub. meritorum, quæ cùm optimi cuiusque, tùm etiam multitudinis testimonio comprobatur. *Plin.l.*11.

A Destributione, (quæ pluribus expositis, & cæteris infirmatis, vnum necessario confirmat.) Sic: Negat hoc Brutus Consul designatus, negat Gallia, negat Italia, negat Senatus, negatis vos: Quid igitur illum Consulem, nisi latronem puto?

A Notatione; (quæ nominis interpretamento rem describit.) Sic: Verres, ita dictus quod omnia verreret, hoc est, nihil reliquit facere homo furax. Cic. in Verr.

A Coniugatis (quæ ab eodem principio orta, variè commutantur.) Sic: Ipsam victoriam vixisse videris, cum ea ipsa quæ erant, illa adepta victis remisisti. Cic. Pro. Marc.

A Genere. (quod plures partes sui ipsius communione similes complectitur) sic: Est multis in virtute ascensus; vt is gloriâ excellat, qui virtute plurimum præstet.

A Forma, vel Specie. (quæ est pars Generi subiecta) sic. Viri propria maximè est fortitudo, cuius munera duo maxima sunt, mortis, dolorisque contemptio.

A Similitudine (quæ est Oratio traducens rem aliquam ad quicpiam, ex re dispari similé) sic. Vt ager quanuis fertilis sine cultura, fructuosus esse non potest; sic sine doctrina animus.

A Dissimilitudine (quæ est diuersarum rerum dissimilis inter ipsas affectio) sic. Tu actionem instituis, ille aciem instruit; Tu caues

ne tui Consultores, ille ne vrbes, aut castra capiantur.

A Contrarijs (quæ sub eodem genere posita inter se dissident) sic: Ijs, qui hæc omnia flāma ac ferro delere voluerunt, non inimicitias solum, etiam bellum indixi, atque intuli; cum partim illorum mihi familiares, partim, me defendente, capitis iudiciis essent liberati: cum eadem Respub. quæ me in amicos inflammare potuit, inimicos placare non possit.

A Repugnantibus (quæ stare simul, & hærere nō possunt) sic: Eius vitam quisquam spoliandam ornamentis esse dicet, cuius mortem ornandam monumento sempiterno putaretis?

Ab Adiunctis (quæ cum re coniuncta sunt) sic: Vidimus templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, Consilij, publicæ caput vrbis, aram sociorum, portum omnium gentium sedem ab vniuerso populo vni ordini inflammari, scindi, funestari.

Ab Antecedentibus (quæ cum Consequentibus necessario cohærent) sic: Nemo fere saltat sobrius, nisi forte insanit: neque in solitudine, neque in convivio moderato, atque honesto: intempestivi convivij, amæni loci, multarum delitiarum, comes est saltatio.

A Consequentibus (quæ rem necessario consequun-

quuntur) sic: Nemo putabat quemquam esse, qui cum omnia diuina, atque humana iura scelere nefario coluisset, somnum statim capere potuisse; propterea quòd, qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.

A Causis, & primodum à Materia ex qua res fiunt, sic: Etenim candelabrũ eo erat splendore, qui clarissimis ex pluribus gemmis esse debebat, ea varietate operis, vt ars videretur certare cum copia.

A Forma (quæ dicitur ratio rei, & nota per quam res est) sic: Omnes homines qui se student præstare cæteris animalibus, summa ope niti licet, ne vitam silentio transigant, veluti pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit.

Ab Efficiente (ex qua aliquid proficiscitur) sic: Hic Dij immortales, vt supra dixi mentem dederunt illi perdito, ac furioso, vt huic faceret insidias: aliter perire pestis illa non potuit.

A Fine cuius causa fit aliquid. sic. Inventa sunt specula, vt homo se nosceret, Formosus, vt vitaret infamiam, Deformis vt sciret, redimendum esse virtutibus quidquid corpori deesset, Iuvenis vt flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi. Senex vt indecora canis depone-

pone-

poneret, & de morte aliquid seriò cogitaret.

Ab Effectis. Sic: An tu eras Consul cum domus mea ardebat, non cum aliquo, sed iniectis ignibus, instigante te.

A Comparatione Maiorum. Sic; Tarquinius, quem maiores nostri non tulerunt, non crudelis, non impius, sed superbus habitus est, quod nos vitium in priuatis sæpe tulimus, id maiores nostri, ne in Rege quidem ferre potuerunt.

A Comparatione Minorum. sic. Quod in alicuius agrestis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in insidijs doctissimi hominis dissimulandum putaret?

A Comparatione Parium. sic. Si vultus Caij Marij, si vox, si ille Imperatorius ardor oculorum, si recentes triumphi, si præsens valuit aspectus: valeat authoritas, valeant res gestæ, valeat memoria, valeat fortissimi, & clarissimi viri nomen æternum.

Loci vnde deducitur Argumentum Inartificiosum.

A *Testimonijs* Diuinis. sic: siue prodigijs ac portentis Dij immortales nobis futura præ-

prædicunt, siue tantus consensus hominum, sine impulsu Deorum esse non potuit; Quid est quod de voluntate Cælestium dubitare possimus?

A Testimonijs Humanis, & primum à Legibus. sic: A maioribus nostris nulla alia causa leges inuentæ sunt, nisi vt suos ciues incolumes conseruarent.

A Testibus. sic: Cœlius optimam causam Aesisij esse arbitratur, cuiusmodi autem sit, à sua putat esse seiunctam: neque solum Cœlius, sed etiam adolescentes humanissimi & doctissimi.

A Pactis vel Fœderibus. sic: Fœdus fecerunt cum Tribuno plebis palam, vt ab eo prouincias acciperent, quas ipsi vellent, exercitũ & pecuniam quantam vellent.

A Tormentis vel Quæstionibus. sic: Qui non pœnam confessioni, sed defensionem dedit, is causam interiùs quærendam, non interitum putauit.

A Iureiurando. sic: Erant ea testimonia non concitatæ concionis, sed iurati Senatus.

A Praiudiciis. sic: Si per furiosum illum Tribunum Senatui, quod sentiebat, perficere licuisset nouam quæstionem, nunc nullam haberemus; discernebat enim, vt veteribus Legibus tantummodo extra legem quæreretur.

A Rumoribus. sic: Nihil est quod in eiusmodi mu-

mulierem cedere non videatur: audita, & pervulgata, & percelebrata sermonibus res est.

A Tabulis. sic. Inspectantibus vobis toto Capitolio tabulæ figebantur, neque solum singulis veniebant immunitates, sed etiam populis vniuersis.

A Prouerbiis. sic. Ille non eguit consilio cuiusquam, sed tamen, vt dicitur, currentem incitauit.

A Sententiis denique. sic. Mediocria peccata non sunt acriore pœnà animaduertenda, sed moderatè corrigenda.

Loci Generis Demonstrativi.

PRincipes loci è quibus eruuntur Argumēta ad præcellentis viri commendationem adornandam, sunt, Bona interna, Scientia: v.g. Philosophia, Rhetorica, & Virtutes v.g. Pietas, & Fortitudo.

Bona externa vel Corporis, vt Pulchritudo, Agilitas ad quæuis munera obeunda, Vel fortunæ: vt Natio, Patria, Splendor Generis, Educatio, Diuitiæ, Honores.

Ad Philosophum igitur commendandum, facit, Subtilitas in inveniendo, in dicendo perspicuitas, in disputando vis &c.

Ad Rhetorem. Fœcunda ac solers inuentio homi-

minum ſenſibus accommodata, apta prudenſque diſpoſitio. Elocutio omni verborum ornatu, & ſententiarum grauitate affluens, fęlix memoria, decens pronunciatio.

Ad Hominem pium. Amor propagandæ Religionis, Chriſtianæ preces aſſiduæ, votivæ ſupplicationes, libera corporis afflictatio, & alia.

Ad Fortem laudandum. Moderatio in vtraque fortuna. Periculoſarum rerum aggreſſio, Laborum tolerantia, Vrbium defenſio &c.

Ad Pulchrum virum commendandum facit, Apta membrorum compoſitio, cum quadam coloris ſuauitate.

Ad Agilem commendandum, Currendi, iaculandi, luctandi, venandique ſtudium, ac rei militaris peritia.

Ad Laudandam Nationem. Ingenium, & mores gentis peculiares.

Ad Patriam. Conditoris nobilitas, temperies, fœcunditas ſoli.

Ad Splendorem generis. Maiorum fumoſę imagines, belli domique res præclaræ geſtæ.

Ad Educationem. Loca, Qui, & quibus cum fuerit educatus.

Ad Diuitias. Fundi. Prædia, & Redditus anni.

Ad Honores. Magiſtratus, Præfecturæ, quibus honeſtiſſimè perfunctus fuit in Repub.

Loci

Loci Generis Deliberativi & Iudicialis.

INter hos numerantur, in Genere Deliberatiuo, Facilitas, Vtilitas, & Honestas.

Ad Facilitatem alicuius rei obtinendæ faciunt, Vires ingenij, Opera amicorum, Cumulus diuitiarum, Abundantia Comeatuum.

Ad Vtilitatem inseruit. Bonum vel publicum, vel priuatum, quod inde benigno ad plenũ cornu manare possit.

Ad Honestatem. Gloria. Fama, Dedecus in consequentes annos perennaturum. Expectatio amicorum, qui rem summà gratulatione prosequentur. Æmulatio hostium, qui præclaro adeo facto aduersantur. Vt Scipio & Annibal milites suos adhortabantur. Liuius l. 2. de 2. bello Punic.

In Genere Iudiciali facit. Causa, Reus, & Iudex.

Ad Causam facit Criminis falsitas, aut levitas, Accusatorum malevolentia, Testium corruptio.

Ad Reum. Lectissima illius indoles, Amor inculpatæ vitæ. Indefessum in optimas quasq, Artes studium. Egregia in Rempub. Vniuersam merita.

Ad

Ad Iudicem. Personarum, meritorumque acceptio. Integritas in cognitione Causæ, cum humanitate coniuncta, & alia id genus plurima. Exemplum est apud Cic. Pro. Rosc. Amer.

Loci Amplificationis.

VT supradictis Argumentis faciliùs permoueantur Auditorum sensus, adhibenda est eorum amplificatio.

Amplificatio Est grauior quædam affirmatio, quæ animorum conciliat in dicendo fidem.

Amplificatio Septem sibi vendicat locos.

Primus est à rei nomine: Vt cum dicimus. Occisum pro cæso. Furem pro Improbo. Enecare pro molestia afficere, aut lædere pro vulnerare.

Secundus est à Correptione. Vt: Est lex hæc Iudices non scripta, sed nata, quam non didiscimus, accepimus, legimus, sed à natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.

Tertius ab Incremento. Vt. Facinus est vinciri Ciuem Romanum, Scelus verberari, prope parricidium necari. Quid dicam in crucem Tollere?

Quartus ab Hyperbole, Vt. Parietes tibi Medius Fidius, Caius Cæsar tibi gratias agere gestiunt.

Quin-

Quintus à Comparatione, Vt. Legati quod erant appellati superbiùs Chorinthum, Patres nostri totius gratiæ nomen extinctum esse voluerunt, vos eum Regem inultum esse patiemini, qui Legatũ Populi Romani Consularem vinculis, ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necauit?

Sextus à Ratiocinatione, quando vel ex præcedentibus consequentia colligimus, Vt apud Virg. amplificatur ex ventorum impetu futuræ tempestatis magnitudo. Vel quando ex consequentibus præcedentia, vt ex strage corporum pugnæ atrocitas.

Septimus à Circũmstantijs quæ sunt variæ.

Ab Instrumento. Ita: Ex hasta Achillis, quam nemo Græcorum ferre potuit, robur illius amplificatur.

Ab Occasione. Ita: Pompei continentia apud Ciceronem, quod sibi temperauerit in summa rapiendi licentia.

A Persona, vt si quis attollat Ciceronis magnanimitatem, quod Pisonem virum primariæ nobilitatis à Macedoniæ Proconsulatu ammouere conatus sit.

A Loco. A quo Annibal apud Liu. exagerat necessitatem gnauiter pugnandi, quod vtrinque clauderentur gemino mari, à tergo haberent Alpes, à fronte hostium exercitum.

A Tempore, vt apud Virg. l.4.

Quin

Quin etiam hyberno Moliris sydere classem?
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum?

Ab Ætate. vt apud Cic. Pompeius Pro Lege Man. Quod vix dum militari ætate plurima bella confecit.

A Conditione, A quà apud *Luc.* lib. 9. Catonis Imperatoris virtutes extolluntur.

——Somni parcissimus ipse est;
Vltimus Author aquæ;

A *Difficultate*, vt de Pompeio Cic. quod omnes Imperatores multis annis non potuerunt efficere, Caius enim Pompeius paucis mensibus præstitit.

A Sexu. vt in Clælia magis admirabilis fuit facinus. quam in Horatio Coclite: Iuvenalis.

Quod miraretur cum Coclite Mutius, & quæ.
Imperii & fines Tiberinum Virgo notauit.

A Paritate vt si cum Annibale Scipionem deterreas à prosequendo bello, quòd raro belli euentus respondeant.

Ab Euentis, vt Cato quadragies in iüs vocatus, toties absolutus, colligitur fuisse innocentissimus.

Spectant etiam ad amplificationem, loci communes; qui nihil aliud sunt, quam communes quædam formulæ virtutum ac vitiorum, cæterarumque rerum, quæ inter dicendum solent occurrere v. g. pro Iustitia aut Prudentia; vel aduersus ingratitudinem aut superbiam: si vero ijs vtamur per amplificationem in laudem vel vituperium iuvant quam maximè persuasionem, redduntque orationem iucundam, locupletam, & lacertosam.

Caput III.

Explanatio Dispositionis

DISPOSITIO est apta rerum inventarum collocatio.

Duplex est Dispositio, altera Artis, Iudicij altera.

Dispositio Artis, est qua præscriptus à Rhetorica ordo seruatur, omnesque illius partes suo quæque loco destribuuntur.

Dispositio Iudicij ad rationem temporis accõmodatur, qua nonnunquam, exigente causa, ab Artis ordine recedendum est, vel pars aliqua orationis relinquenda, vel alia alii præponenda: vt in causa Milinoniana narratio-

rationem & probationem ; in Syllana vero confirmationem præcedit confutatio .

Quadripartitur Dispositio in Exordium , Narrationem , Confirmationem & Perorationem .

Exordium est oratio quæ Auditoris animum præparat ad audiendum . Hoc autem fieri amat vel palam, vel latenter . Nam cum causa honesta siue probabilis est,recto exordio vtimur, sin autem turpis ; aut Auditor persuasus , seu defessus, circuitione vtimur , quam Insinuationem vocamus .

Tria in Exordio quærenda , aliqua declinanda .

Quærenda, sunt Benevolentia, Docilitas, & Attentio Auditoris .

Beneuolentia captatur, vel à Personis, vel à Rebus , vel ab ijs quæ sunt illis adiuncta ; Et primum à Personis vel nostris , vel Clientis nostri, vel Aduersarii , vel Auditoris , siue Iudicis .

A Nostris , si officii partes agimus , sine fastu , honestàque solum ex causa , non ex odio , aut quæstu impellimur ad dicendum .

A Persona clientis , enarrando spectatissimos illius mores , ac probitatem , vel commiserando calamitates & inscitas , ad quas fortunæ iniquitate redactus est .

A Persona aduersarii , si eum in odium adducamus, accusantes, videlicet , superbiam ,

Crudelitatem, Perfidiamque illius: Vel in invidiam proferentes nimiam potentiam, opes amicorum, nobilitatem, & factionem. Vel in contemptum, vel inertiam: Luxuriam, & ignaviam contestantes.

Ab Auditoris vel Iudicis persona; si nos eius commodo, existimationi, authoritatique studere doceamus, eumque citra assentationem laudemus: in lite Iudicis laudem ad causæ nostræ utilitatem accommodabimus.

A Rebus captatur benevolentia, si causam nostram laudando extollamus, & Aduersarij pro contemptu deprimamus: si rem Auditoribus fore vtilem affirmemus.

Docilitas paratur, si breuiter, & dilucidè exponamus summã rei, qua de acturi sumus, præsertim si difficilis esse videatur: aut si quod officere causæ nostræ putemus, id ante omnia removeamus.

In Tractatione igitur, vt plurimum omnia debent esse mediocria, & modesta. Sententiæ, Vox, vultus, & Compositio.

A Structura abit verbum omne insolens, audacius, translatum: Vetustum, poeticum, luxu difluens.

Attentio conciliatur, si aut de inusitatis; & præclaris rebus, de incredibilibus, grauibus, atrocibus: aut de necessarijs, vtilibus, & ad Auditores spectantibus nos esse dicturi polliceamur: aut denique si rogemus, vt atten-

attentas nobis aures exhibeant, quod Cicero frequenter facit, & est comicis Prologis vsitatissimum; Cum causa humilis est & abiecta, captanda præsertim attentione grandescit.

Caput IV.

De Exordio.

DEclinanda sunt Exordia Longa, Communia, Vulgaria, Separata, Translata, & Rhetoricæ præceptis aduersantia.

Longa quæ, pluribus verbis & sententiis vltra, quam satis est, producuntur.

Communia, quæ non minus in hanc, quam in contrariam causam possunt accommodari.

Vulgaria, quæ in communes causas aptantur, vt Delphicus gladius.

Separata, quæ non ex causa dicuntur, nec sicut aliqua membra orationi adnexa.

Translata, quæ aliud conficiunt, quam genus causæ exigit; vt si docilem faciant Auditorem, cum beneuolum causa desideret.

Rhetoricæ præceptis aduersantia, sunt, quæ Auditores, neque beneuolos, neque dociles, neque attentos faciunt.

Quinque sibi vendicat Exordium causarum genera:

Honestum, in quo laudatur, aut vituperatur; id quod omnibus faciendum videtur.

Turpe, in quo res honesta oppugnatur, aut turpis defenditur, ad quod Admirabile, siue Paradoxon refertur.

Dubium, cum causa habet in se honestatis, & turpitudinis partem, vt si quis apparente latrone dicat.

Humile, cum affertur res vilis, & abiecta:

Obscurum, cum involuta & obscura causa est.

Honestum, non exigit conciliationem, cum ei statim faueat animus Auditoris.

In Turpi, vtendum est Insinuatione, qua rei turpitudo principio Orationis excusetur, Idem in Paradoxo, seu Admirabili.

Dubium postulat, vt reddamus Auditores beneuolos, eamque partem, quæ turpitudinem habet, ante omnia diluamus.

Humile, Vt faciamus attentos.

Obscurum: Vt dociles. Hæc de Exordio,



Ca-

Caput V.

De Narratione.

N*Arratio.* Eſt rei factæ, vel tanquam factæ, vtilis ad perſuadendum accommodatio

Triplex eſt illius genus.

Primum. Vtilis quæſtionis Expoſitio, cui ſoli ſecundus in Oratione datus eſt locus.

Alterum Parabaſis, ſeu Digreſſio, quæ eſt alienæ rei, ſed ad vtilitatem cauſæ pertinentis, extra ordinem procurrens tractatio.

Tertium: In quo: vel Fabulæ: vt Tragœdiarum: vel Hiſtoriæ; vt rerum geſtarum: vel Argumenta, vt Comœdiarum: vel Perſonarum, Locorum, ac Temporum deſcriptiones, vel ingenia, moreſque hominum cum laude, aut vituperatione tractantur.

Narratio debet eſſe breuis, dilucida, veriſimilis, & iucunda.

Breuis erit, ſi res non altius repetatur, quam opus fuerit: Si nihil extra cauſam dicatur: Si minutarum enumeratione rerum non dilatetur Oratio.

Dilucida; ſiue Perſpicua: ſi ordinem, diſtinctionemque adhibeamus. Si verbis proprijs

vtamur, nec immodica coacervemus: Si structura sit simplex, nec fucata, verisimilis, siue probabilis: Si personis, temporibus, & locis consentanea sit: Si Naturæ, Legi, & Moribus congruentia, aut ad vulgi rumorem, & Auditorum opinionem accommodata narrentur: Si Consiliorum rationes constent: Si facti cuiusque causæ proferantur. Iucunda erit si nupera, inexpectata, magna, & grauia contineat.

Caput VI.

De Confirmatione.

C*Onfirmatio*. Est contentio, siue Probatio, qua nostra argumenta firmamus, & contraria dissoluimus.

Continet Rationem, Firmamentum, & Iudicationem.

Ratio. Est illa, quæ à reo adducitur depellendi criminis causà.

Firmamentum. Est quo adducta Ratio labefactatur.

Iudicatio. Est quæstio, quæ oritur ex ratione Defensoris, & firmamento Accusatoris.

Ad Confirmationem potissimum facit Argumentatio.

Ca-

Caput VII.

De Argumentatione.

ARgumentatio. Est vnius argumenti cum quæstione firma, & constans collocatio.

Dividitur in Collectionem, siue Ratiocinationem, Enthymema, Dilemma, Inductionem, Soritem, quibus aliqui addunt Exemplum, sed impropriè.

Argumentum: vel est à pari, vel à maiori, aut à minori.

Epicherema etiam est commune nomen ad Actionem; (argumentationem, vel quoduis argumentum significat) quo aggreditur aduersarium.

R*atiocinatio*. Est argumentatio; ex ipsa re aliquid probabile eliciens.

Quinque sibi asserit partes.

P*ropositionem*, quà aliquid ad probandum assumitur.

Rationem, quà probatur, id quod propositum est.

C*onfirmationem* Rationis, seu Comprobationem.

E*xorationem*, vel Expolitionem, est quæ rei locupletandæ gratia adhibetur.

Po-

Postremò Complexionem, quæ breuiter collectis Argumentationis partibus propositionem concludit. Ex. gratia Propositio sit:

Optima primum sunt addiscenda.

Ratio, Quoniam prima ætas, vt docilior est, ita & tenaciùs retinet, quæ percipit. Confirmatio rationis; quia vacuum adhuc est ingenium curis, nec dum vitiis occupatum. Exornatio, vti enim

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

sic tener animus, & faciliùs optima percipit, & fidelius retinet. Complexio, Optima igitur primum, ac statim sunt addiscenda.

Enthymèma, propriè dicitur sententia, quæ fit ex contrariis. Exemplo sit illud Horatianum.

Vt iugulent homines, surgũt de nocte latrones:
Vt te ipsum serues, non expergisceris?

Dilemma. Est argumentatio in qua vtrum cõcesseris deprehenditur. Exemplo sit illud Socratis Orationem filio dissuadentis.

Si

Si iusta loqueris, hominibus eris invisus:
Sin iniusta, Dijs.

cui filius: immo orationi oportet incumbere: nam si iusta loquar, Diis gratus ero; sin iniusta, hominibus.

Inductio, siue Epagoge fit, cum plura exempla, pluresue similitudines ad vnum eundemque effectum cogeruntur. Æneas apud Virg. lib. 6.

Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus,
Threicià fretus citharà, fidibusque canoris:
Si Fratrem Pollux alternà morte redemit &c.

Sorites, siue Acervus Chrysippeus, Est capitosum dicendi argumentum, in quo ex vno concesso ad multarum complexionum congeriem, sese inuicem excipientium descenditur. Exemplo sit illud Themistoclis, qui filium suum Diophantum plurimum posse apud Græcos colligebat hunc in modum.

Athenienses dominantur Græcis, ego Atheniensibus, mihi vxor, Vxori filius:
Igitur filius est Græcorum omnium potentissimus.

Po-


Postrema Dispositionis pars est Peroratio, siue Epilogus, qui dicitur Artificiosus exitus orationis.

Peroratio constat, vel Enumeratione, vel Affectibus.

Enumeratio siue Anacephalæôsis. Est breuis potissimorum argumétorum repetitio, quâ redigit in memoriam Auditor, quid per totam orationem dictum sit; totamque summatim causam denuò cognoscit.

Affectus, nihil aliud est, quàm impetus quidam animi, quo vtimur ad impellendos Auditores: vel ad amorem in laudibus & exhortationibus: vel ad odium & indignationem in vituperationibus: vel ad misericordiam in defensionibus.

In Epilogis hoc seruandum præcipitur; Vt breues sint, neve inflammatus Auditor frigescat, vel commiseratione motus, aliò se animo & cogitatione conuertat: tum vt acres sint, & quibusdam quasi aculeis animos pungant.



Caput VIII.

Monita ad Memoriam spectantia.

MEmoria. Est firma animi rerum ac verborum dispositionis perceptio.

Reuocatur ad Dispositionem; quia hæc illam maximè iuvat: Si enim quis aliquod methodo scripserit, ordinarit, aut ab aliis scriptum ipse collegerit, facilè memoriæ commendabit.

Memoria altera est Naturalis. altera Artificiosa.

Naturalis. Est vis animis insita, quæ facile res percipiat, & fideliter contineat.

Artificiosa dicitur, quæ præceptis confirmatur; constatque locis, & imaginibus, tanquam chartis & literis, vt inquit Cicero; sed hæc quidem ratio viris sapiētibus operosior esse videtur, quam vtilior: quare præsertim opere duxi vobis monita quædam tradere, quibus memoria quam maximè adiuvetur.

Primum. Quisquis suas in partes rectè distribuat orationem: vix unquam memoriā excidet in rerum ordine; iudicium enim illi-

cò

cò sententiam suggeret: & quia rerum copia verborum etiam parit copiam, ideo rerum & sententiarum memoria plurimum iuvatur aptà dispositione, rectáque serie orationis.

Secundum. Animo affici erga ea, quæ discere memoriter voles plurimum proderit; Vnde sapienter dicit Orator sollicitudinē conseruare integras simulacrorum imagines.

Tertium. Eādem cerà discendum est, quà primū scripseris, si tamen ob frequentes lituras esset perturbatior, secunda vtere quàm tu manu ipse tuà exaraveris; defixa enim fuit inter scribendum cogitatio in omnes ferè syllabas, quas deinde inter discendum sequitur, veluti quibusdam vestigijs.

Quartum Apponere quasdam ad oram notas partium præcipuarum indices, quarum recordatio commoneat, & quasi excitet memoriam: Vt anchoram si de Nautica, librum si de Literaria, aut ensem si de Bellica agis: hæc enim signa multum prodesse experimento compertum est.

Quintum. Quando bis aut ter eandem periodum attente legeris, avocato animo à consuetudine oculorum, experire memoriam; & ea quæ exciderint, sæpius repete, vt altiùs hæreant. Insuper quoniam cessatio & somnus memoriam reficiunt, iuvabit, somno interposito, eam firmare: maturatur enim,

&

& excoquitur eodem temporis, quod cętero solet esse causa oblivionis.

Sextum. Deuoràre alacriter tædium, scripta aut lecta sæpius reuoluendi, quasi cibū eundem remandendi, omnino necesse est. Is tamen labor subinde leuior fiet, si facilima primum discantur, tunc difficilima, Sic Athletæ plumbeis ponderibus assuefaciunt manus, quibus vacuis & nudis vtantur postea in certamine.

Septimum. Vt ea quæ didiceris, firmius hæreant, consultum fuerit, priusquam in concionem prodeas, experimentum facere coram vno, vel pluribus, quos reuerearis; Nā simul auditorum præsentià attentio, & attentione memoria excitabitur. Omnium præsentissimum erit declinare, quæ memoriam maximè lædunt, ea sunt, crapula, cibus & potus immoderatus, nimius somnus, intempestiva studia, cepæ, brassicæ, raphani, sinapi, caseus, nuces &c. Iracundia, mæror, timor, atque aliæ animi perturbationes.

Nonum. Illud Sthoici animis altè figendum: certior est memoria, quæ nullum subsidium extra se habet; Vnde medicamenta, & imagines, quæ ad memoriam artificiosam præscribuntur, potiones, inscriptiones, conclauia, cellas, porticus, & columnas, sexcentasque eiusmodi figuras, eo loco abigas, vt

pu-

putes ijs potius animum obrui, quam iuvari.

Decimum. Memoriæ ostentatio vanitas est, putida & puerilis, & quæ hæc solum consequitur: vt auditor dicat: *Sæpe memoriam stultorum solam possessionem esse*. Immo levis hæsitatio nonnunquam fingenda est, vt pendère potiùs videamur à iudicio, eaque dicere, quæ internus affectus suggerit. Vtrum autem ad verbum discendum sit dicturis? Sic definio. Adolescentibus vt bene dicere assuescant, omnino pretium opere videtur: prospicienti senectutem, turpe est commentario sapere, vt inquit Seneca.

Caput IX.

Dilucidatio Elocutionis.

E*Locutio*. Est ratio exornandæ orationis.

Tribus potissimum constat partibus. Elegantia, Compositione, & Dignitate.

Elegantia facit, vt latina & perspicua sit oratio, sine quo nulla esse potest exornatio Elocutionis.

Vt omnes Elegantiæ numeros impleas: tria vites, necessum est; Barbarismum, Barbarale-

ralexim, & Solœcìſmum vel Stribiliginem.

Barbariſmus. Eſt verbum contra latini ſermonis præcepta, aût ſcriptum, aut pronunciatum.

Barbaralexis. Eſt extraria; & peregrina dictio: vt Magalia pro gaza apud Virg.

Solæciſmus, vel Stribiligo, Eſt impar, & inconveniens partium Orationis compoſitura.

Compoſitio. Eſt verborum apta, & concinna, ſuaviterque numeroſa conſtructio, quà lenis, & æquabilis, ſuiſque modulis perpolita fluat oratio;

Compoſitio tria ſibi vendicat; nimirum, Iuncturam, Ordinem, & Numerum.

Iunctura. Præcipit ne crebra ſit vocalium concurſio, quæ ſonum vaſtum, & hiantem efficiunt. Deinde eiuſdem literæ, aut ſyllabæ, aut dictionis, vel initio, vel in fine frequentatio, id quod inſibilante litera S. præcipuè cavendum eſt.

Ordo monet, ne decreſcat oratio, ne grauiori gravius aliquid ſubijciatur; Augeri enim, & inſurgere debent ſententiæ.



Caput X.

De Numero.

NVmerus. Est certa quædam temporis in syllabis obseruatio, modulis quibusdã adstringens orationem, qui tamen à poeticis plurimum discrepent.

Numerus, Incisum, Membrum, & Periodum secum deffert.

Incisum, sive Coma. Est imperfecta sententia, in duos pedes & semis excurrens. Vt. Antequam de Repub. dicam ea. apud Cic.

Membrum sive Colon; aut Schœnotenes. Est perfecta quidem sententia, sed aliò tamen relata, excurrens ad magnitudinem ferè carminis heroici, vt: Antequam de Repub. dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror.

Periodus, sive Circumscriptio, aut Comprehensio. Est perfecta omnibusque partibus absoluta sententia, vt. Antequam de Repub. dicam ea, qua dicenda hoc tempore arbitror; exponam vobis breuiter Consilium, & profectionis & reuersionis meæ.

Cum Periodus sit ex vno colo, dicitur Schœnotenes.

Cum ex duobus Dicolos appellatur.

Si duo Membra sint inter se paria appellatur Isocolos, aut Compar, vt. Si laus allicere nos ad rectè faciendum non potest: nec metus quidem à fœdissimis factis avocare.

Si sit Periodus ex tribus membris Triclos dicitur.

Si ex quatuor Tetraclos dici consuevit.

Extrema Periodi pars, peculiari nomine dicitur Clausura, appuratam, quæ postulat deligentiam; hìc siquidem exoptatà Numeri iucunditate recreantur aures, & si quid in Oratione Voluptatis est dominatur in fine.

Periodo non semper, Locisque omnibus vtemur, sed in Procemijs potissimum, in Laudibus, ac Vituperationibus, in Locis communibus, in Amplificationibus, in Epilogis: hàc tamen lege ne multo diffundatur verborum ambitu, tunc enim dicetur Pneuma, idest, quantum vix vno spiritu efflari possumus: satis de Compositione.

De Dignitate.

D*Ignitas*. Est quæ ornatam reddit Orationem, & gratà varietate distinctam.

Conflatur ex verborum, & sententiarum ornamentis, quibus præter vulgarem consuetudinem, expolitur oratio, fitque iucunda, illustris, copiosa & grauis.

Dividitur Dignitas in Tropos, & Schemmata, quæ propriè dicuntur Figuræ, aç Colores Eloquentiæ.

Caput XI.

De Tropis.

TRopus est verbi vel orationis à propria significatione, in aliam similem, aut proximam, cum venustate, translatio.

Vndecim vulgo numerantur: Septem Verborũ; Vt Metaphora, Catachresis, Synedoche, Metonymia, Antonomasia, Honomotopæia, Metalepsis: Quatuor sententiarum; Vt. Allegoria, Periphrasis, Hyperbaton, Hyperbole:

Ex omnibus vna tantum Metaphora, (nec sine Authore) me iudice, Tropus est, Vti planũ erit rem seriò considerantibus.

A Metaphora neque Catachresim, neque Allegoriam discrimino; Metaphora enim si duriuscula sit, Catachresis dicitur. Immo omnis Tropus, (si quis alius est) iure appellabitur Catachresis.

Allegoria Metaphoræ perpetuæ locum & vices occupat.

De

De Metaphora.

M*Etaphora*. Est verbi à propria significatione in aliam, propter similitudinem mutatio.

Quatuor modis fieri solet Metaphora.

Primò. Cum res animata ponitur pro alia animata, Vt, Leo pro viro strenuissimo. Sidon. in Paneg. Anthenij.

———Tu facta priorum
Exuperas Auguste Leo.

Secundò. Cum res inanimata pro alia inanimata vsurpatur. Vt habenæ pro navium rudentibus. Valer. lib. 1.

———volat immissis caua pinus habenis

Tertiò. Cum res inanimata sumitur pro animata, Vt Fulmen belli pro viro præstantissimo. Cic. Pro. Corn. Bal. Cum duo fulmina nostri Imperij subitò in Hispania. Cn. & Publij Scipionis extincti occidissent.

Quartò. Cum res animata ponitur pro inanimata, Vti de Lauro est apud Plin. Ianitrix Cæsarum, Pontificumque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat.

Catachresis. Est vsurpatio, sive abusio nominis

alieni, aut vèrbi ad ſignificandam rem, quæ proprià appellatione deficit. Virg.2. Geor.

—*facieſque ſimillimà lauro*

cum facies de homine tantum dici debeat.

Ad Catachreſim pertinet Acyrologia quæ deſcribi ſolet: Sermo improprius. Virg. 4. Eneid.

Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem.

vbi ſperare pro timère dicit; cum propriè ſperemus bona, timeamus adverſa: vt ibi Servius.

De Allegoria.

ALlegoria, ſive Inuerſio. Eſt illa quæ aliud verbis, aliud ſenſu,& nonnunquam contrarium oſtendit. Cic. in Piſ. Neque tam fui timidus, vt qui in maximis turbinibus Reipub. navem gubernaſſem &c.

Allegoriæ ſpecies. ſunt Ænigma, Logogriphus, Emblema, Symbolum, Hieroglython, Parœmia, Apologus, & Parabola.

Ænigma. Eſt alicuius rei obſcura allegoria, vel ſermo implexus, aut figurata deſcriptio,quæ diffi-

difficile intelligitur, nisi aperiatur. Eiusmodi est apud. Symp. de Fumo.

Sunt mihi sunt lachrimæ, sed non est causa doloris:
Est iter ad cælum, sed me grauis impedit aer;
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

Logogriphus. Est species Ænigmatis, quæ versatur in literarum, & Syllabarum tenuiculis quibusdam, ac puerilibus aucupeis; veluti si dividamus hoc nomen (Vastus) in varios sensus, vt vas, & tus.

Emblema. Est Symbolum quodvis ingeniosum, suave, & moratum, ex pictura & Lemmate constans, quo aliqua grauior sententia indicari solet. Vti illud Ioachimi Camerarij de Croco planta, quę si cōculcetur priusquā se in florem induat pulchriùs & fœlicius germinat. Inscriptio est.

Conculcatum vberius.
Pictura.
Pes læviter crocum atterens.
Carmina.

Pulchrior vt crescat teritur crocus: Oh furor ingens!
Lætior vt possis surgere nolle premi!

Symbolum. Est rei occultæ & latentis signum ac nota, ingeniosam habens similitudinem. Pro exemplo subijcio illud è multis, quod olim in nuptijs Alphonsi Principis vsurpavit Didacus de Gusmam: scilicet, Rotam cum scitulis dentatam, & noema interpres mentis erat.

Los llenos son de dolor,
Los vasios de speranca.

Ista spei vacua sunt,
Sunt plena doloris.

nimirum futuræ fœlicitatis spe præsentem lenibat calamitatem. Consulite Resendium. in Ioan. 2.

Hieroglython. Est imago ad aliquid significandum, ex hominum arbitrio constitutum, quo literarum vice Ægyptiorum Sapientes vtebantur. Ita Syderalis scientiæ peritum vt innuerent, gruem Volantem appingebant: illa enim alte admodum volat, vt nubes è proximo conspiciat, neque vllis tempestatibus agitetur. Auct. Horus. Apollo.

Parœmia, Est celebre dictum, scità quàdam novitate insigne, vt. Risus Sardonius, pro risu ficto, aut insano, aut amarulento: fluxitque à quadam herba cui sardoæ Cognomē sit; hanc si quis edat os subito in rictus dolore contrahit, vt veluti ridens emoriatur.

Apo-

Apologus. Est ex humilibus rebus composita forma & species, accommodata ad movendum risum; nam facetà quàdam imitatione; verum quodamodo ponit ante oculos, vt apud. Horat. lib. 1. epist. 1.

Olim quod vulpes ægroto cauta Leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent,
Omnia te ad versum spectātia, nulla retrorsū:

quo innuit Reipub: administrationem multis esse periculis obnoxiam.

Parabola. Est diuersarum rerum in vna aut pluribus affectionibus collatio; huic (vt venustior sit) adnectenda est Apodosis, siue Redditio. Sit hæc v.g. Inscriptio Parabolæ.

Imitatio illustrium Authorum.

FErunt Thraces luscinas, quæ iuxta Orphei sepulchrum nidificant, molliùs & suaviùs canere.

Apodosis: Sunt monumenta doctissimorum virorum, quæ ab imitantibus frequētantur, geniumq. inspirant Eloquentiæ.

Ad Allegoriam quoque revocari solet Ironia quam sic describo.

Caput XII.

De Ironia & eius speciebus.

IRonia, siue Illusio, aut Dissimulantia; est permutatio ex oppositis ad opposita, quà aliud, quã quod dicimus intelligi volumus. Vt si aliquis nominetur candidus, cum prærer nomen nihil habeat candidi moris. aut Polyphemus, cum sit homo pugilaris.

Decem numero Ironiæ species: Sarcasmus, Epitrope, Asteismus, Mychtirismus, Charientismus, Cleuasmus, Diasyrmus, Exuthenismus, Mimesis, & Antiphrasis.

Sarcasmus. Est iocus amarulentus, atque hostilis insultatio. Virg. 12.

En agros, & quam bello Troiane petisti,
Hesperiam metire iacens.

Epitrope. Est cum alicui permittimus vt faciat quidquid velit, cum tamen eà mente non simus. Stat. 1. Sil. 1.

Hunc age, fama prior notũ per sæcula nomen
Dardanei miretur equi.

Asteis-

Asteismus. *Est* quidquid rusticanà simplicitate caret, & non inficetà vrbanitate exprimitur. Virg. Eclog.3.

Qui Bavium non odit; amet tua carmina
Mœvi:
Atque idem iungat Vulpes: & mulgeat hircos.

Mychtirismus: *Est* risus simulatus, sed tamen nō occultus, μυκτηρ enim nasum significat, qui subdolę irrisioni quondam dicatus erat. Vnde Mart. lib,1 .*Epig*. 4. de Pueris subsannantibus.

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Charientismus. *Est* cum reapse duriora gratiosis verbis molliuntur. Teren.in Andria.

——bona verba quæso
Cum pristinus deprecetur Davus.

Diasyrmus: *Est* cum ludentes dissolvimus ea, quæ ab adversarijs obijciuntur. Sic Menelaus apud Virg. *Eclog*.2.

Tum credo: cum me arbustum videre
Myconis,
Atque mala vites incidere falce nouellas:

Cle.

Cleuasmus, vel *Epicertomisis*. *Est* quæ seuerè propositá vafre excutit, eludens personarum, aut rerum comparationẽ: Turnus apud Virg. 1. Aeneid.

——meq. timoris
Argue tu Drance, tot quando stragis aceruos
Teucrorum tua dextra dedit.

Exuthenismus. *Est* cum rem aliquam deprimimus, & contemptã facimus. Cic. pro Cæcin. *Eieci* ego te armatis hominibus? non deieci, vt tantum facinus, non in æquitate iuris; sed in vna litera latuisse videatur.

Mimesis. *Est* cum alterius non verba modo, verum etiam gestum, vocemque alienam fingimus deridentes. Teren. in Phormione.

Ad precatorem habeam, credo, qui mihi
Sic oret: nunc omitte quæso hunc,

Antiphrasis. *Est* sermo per contrarium intelligendus. Sic Promontorium Sigæum dictũ est à Silendo, cum tamen nullum ibi silentium sit aquarum illusu. Sic Manes, quod minime boni sint. Lucus quod minime luceat, & Parcæ quia minime parcant.

De Synedoche.

SYnedoche, sive Intellectio. *Est* in qua ex parte totum, vel ex toto pars, aut ex antecedentibus sequentia colliguntur.

Octo complectitur modos.

Primus. Est cum pars ponitur pro toto, Vt mucro gladij pro gladio. Virg. 12.

——strictisque seges mucronibus horret.

Secundus. Est cum totum pro parte. Virg. 1. Aeneid.

——— prius quam
Pabula gustassent Troiæ, Xanthumq; bibissent.

Tertius: Cum vnus pro pluribus. Tit. Liu. Eques maximè resistebat, idest, equites.

Quartus. Cum plures ponuntur pro vno, Iuvenal. Sat, 1.

Et nos ergo manum ferulæ subduximus.

Quintus. Cum forma ponitur pro genere. Virg. 1. Geor.

Poculaq. inventis Acheloia miscuit vvis.

vbi

vbi Acheloi aquam pro quàvis vsurpavit; Macrobio interprete.

Sextus. Cũ genus pro forma. Virg. 5. Aeneid.

—— timuitque exterrita pennis
Ales. idest columba.

Septimus. Cum materies ponitur pro re ipsa materià affabrefacta. Itat. 3. Theb.

Spumantem proni mandunt adamanta iugales.
idest frenum ex adamante elaboratum.

Octavus. Cum aliud ex alio deprehenditur. Virg. 2. Aeneid. ——

—Fuimus Troes, fuit Illium & ingens
Gloria Teucrorum.
idest, cum pereunte Troia perijmus.

Caput XIII.

De Metonymia.

METonymia, vel Transmutatio, Hypallage, aut Denominatio. Est quà vnum per aliud proximum intelligimus.

Quatuor modis solet fieri.

Primò. Cum inventor rei ponitur pro re inventa, Vt Mars pro bello. apud. Virg. 1. Georg.

—— sæuit toto Mars impius orbe.

Et Diana pro venatione apud Mar. in spect.

Inter Cæsariæ discrimina sæua Dianæ.

Vel cum author pro eius scriptis: Horat. lib. 1. Satyr. 10.

Nihil præter Caluum, & doctus cantare Catullum.
idest, Calui & Catulli Carmina.

Secundò. Cũ causæ pro effectis. Teren. in Andr.

Vbi ille scelus est qui me perdidit?

idest, sceleratus homo, vel causa sceleris. Hinc senectus tristis: hilaris adolescentia: audax iuventa: præceps ira turpis egestas, aliaque huiusmodi dici consuèvere.

Tertiò. Cum continens sumitur pro re contenta. Virg. lib. 6.

—— illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æqunbit olympo.

vel è contra, cum res contenta ponitur pro continente. Virg. lib. 5.

Effu-

Effugit ante alios, primusque elabitur vndis
Turbam inter fremitumque Gyas.

idest, nauis cui Gyas præest. Item cum possessor pro re possessa. Teren.in Eunuch.

Hunc tibi comedendum propino.

idest, huius bona tibi deuoranda trado. *Quartò*. Cum signum ponitur pro re significata, vt fasces, ebur, corule pro Consulari, Aedilique dignitate. Horat.lib.1. epist.6.

Cuilibet hic fasces dabit, eripietque corule
Cui volet importunus ebur.

Caput XIV.

De Antonomasia.

ANtonomasia. Est nominis permutatio, siue quæ loco nominis aliquid ponit, Vt. Romanus Orator, pro Cicerone: Princeps Perfectus apud Christianos pro Ioanne II. Lusitanorum, & Scipio Lusitanus, pro Alphonso V. eorundem Lusitanorum Regibus.

Ad

Ad Antonomasiam ſpectat Epitheton ; ſive Appoſitum;quo proprium nomen, adiecto aliquo, quaſi veſtitur , Vt Aurora, Solis pueritia, eiuſque ætatis diurnæ ſplendidum rudimentum . Aquilini oculi, Solis examina , Aſtrorum cenſores &c.

Onomotopœia . Eſt nominis confictio , ac procreatio ; fit autem quando vocis confuſæ nomen ad imitandum ſonum effingimus Aenius de Tuba . Sic.

At tuba terribili Sonitu taratantara dixit .

Et vetus poeta lib.2.Antolog.de gutti ſono. Sic .

Percutit, & frangit vas, vinum defluit, anſa
Stricta fuit, glut glut murmurat vnda ſonans.

Periphraſis , ſive Circumlocutio . Eſt fuſior , & copioſior rei deſcriptio ; aut explicatio . Virg.4.Æneid. de ortu diei .

Et iàm prima nouo ſpargebat lumine terras
Titoni croceum linquens Aurora cubile .

Et lib.8. de Meridie .

Sol medium cœli conſcenderat igneus orbem .

Et de nocte lib.4.

Nox erat, & placidā carpebant fessa quietem.
Corpora &c.

Caput XV.

De Hyperbato.

HYperbaton, sive Hyperbasis. Est verborũ quædam transgressio communem ordinem perturbans.

Quinque sunt Hyperbati species. Scilicet: Anastrophe, Dialysis, Diacope, Synchysis, & Hysterologia.

Anastrophe, sive Reuersio. Est verborum ordo præposterus. Cic. pro leg. Manl. Quo de nunc agimus: pro De quo nunc agimus.

Dialysis. Est ordinis dissolutio, per interpositā sententiam. Virg. Aeneid. 1.

Aeneas (neq; enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves præmittit
Achatem.

Diacope. Est cum dictionis compositæ iunctura solvitur aliquo interposito. Virg. sup. lib. cit.

Et

Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu.
pro circumfudit.

Synchyſis. Eſt quoties ordo ex omni parte cõfunditur. Virg. ibidem.

Tres Notus abreptas, in ſaxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali, medyſq. in fluctibus aras.

Ordo enim eſt, Authore Donato, tres naues abreptas Notus torquet in ſaxa, quæ Itali vocant Aras.

Hyſterologia. Eſt cum id quod ſecundo loco fit, priorem in Oratione ordinem ſibi vendicat. Virg. 3. Aneid.

Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit.

prius enim ad æquor venit, quàm fluctus tangeret.

Caput XVI.

De Metalepſi.

METALEPSIS, ſive Tranſumptio. Eſt quà gradatim itur ad id, quod intenditur, atq.

ex præcedentibus insinuatur: Claud. 4. de Honor. Consulatu.

— decimas emensus aristas.

vbi ab aristis ad spicas, ab spicis ad segetes, ab his ad æstates, ab æstatibus ad annos gradatim itur.

Hyperbole, sive Superiectio. Est oratio, quæ rei alicuius augendæ, minuendæuè causâ, fidem veritatis exuperat, vt apud Virg.

—geminiq. minantur
In cœlum scopuli.

Auxesis dicitur rei augendæ modus. Vt apud Virg. lib. 7.

— qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant.

Myosis minuendæ rei modus dicitur. Vt apud. Plaut. in Captivis.

Ossa, atque pellis sum miserà macritudine.

Ca-

Caput XVII.

De Sententiarum Figuris.

F*igura*, quæ alio nomine dicitur Color, Lumen, Flos, Schema, Habitus, & Gestus Orationis. Est elocutio, quâ oratio mutatur à vulgari consuetudine. Cum vero naturæ sit priùs sentire, quam eloqui, prius agendum duxi de Figuris sententiarum.

Quatuor modis fiunt sententiarum Figuræ.

Primò. per Petitionem, vel Responsionem, aut vtramque simul. Secundò. per Fictionem: Tertiò. per Abruptionem. Quartò per Amplificationem.

Quæ pertineant ad Petitionem.

A*D Petitionem* spectat Optatio, Adhortatio, Ominatio, Execratio, Imprecatio, Obsecratio, Deprecatio.

Optatio. Est votorũ significatio. Virg Eclog.9.

Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos.

Adhortatio. Est quâ aliquem in quid magnum impellimus, aut excitamus. Vt illa Horat.

I bone; quo tua te virtus vocat; I pede fausto.

Ominatio. Est quà quis sibi aliquid portendit, vt illa Virg.

Turno tempus erit magno cum optaverit emptum
Intactum Pallanta.

Execratio. Est cum factum aliquod, aut hominem improbum detestamur. Cic. in Verr. O scelus! o portentum in vltimas terras exportandum!

Imprecatio. Est quà sinistrum alicui exitum precamur, vt illa Teren.

Vt te Dij, Deæque omnes cum istoc invento perduint!

Obsecratio sive Δέησις Est cum obtestari solemus per quidquid magnũ est. Virg. 3. Aeneid.

Per superos, atque hoc cœli spirabile numen.

Deprecatio sive Euche. Est Apostrophe cum precibus: Virg. 10.

Da

Da nunc Tybri Pater ferro, quod miſſile libro,
Fortunam, atque viam duri perpectus Haleſi.

Etorema ſive Interrogatio. Eſt cum exacerbãdo aliquid ſciſcitamur, & augemus eius invidiam. Cic. in Catil. Servare potui, perdere an poſſim rogas?

Pyſma. Eſt Interrogatio vehementior, & verbis fuſior, quà quis acriter vrgetur. Teren. Quis tu homo es? Quid tibi vis? Quid cum illo rei tibi eſt?

Dubitatio ſive Diaporeſis. Eſt affectus ſolliciti, & in conſilij perturbatione hæſitantis. Teren. in Eunuch: Quid commemorem primũ, aut laudem maximè? illum qui dedit mihi conſilium vt facerem, an me qui auſus ſim incipere? an fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit?

Communicatio, ſive ἀνακοίνωσις. Eſt quando aut adverſarios conſulimus, aut cum iudicibus deliberamus. Virg. 12.

-----fuit & tibi talis
Anchiſes genitor, Dauni miſerere ſenectæ.

Permittio, ſive Epitrope. Eſt facti, reique alicuius conceſſio, aut condonatio. Virg. 4. Aeneid.

I, sequere Italiam ventis; pete regna per vndas.

& apud Terent. Profundat, perdat, pereat, nihil ad me.

Concessio, siue Paromologia fit cum id quod conceditur à nobis est aut certè non nocet, & aduersarium vrget. Cic. in Verr. Sit sacrilegus, sit fur, sit flagitiorum omnium, vitiorumque Princeps, at est bonus Imperator, &c.

Præsumptio, siue Prolepsis. Est cum id, quod obijci potest præoccupamus. Cic. pro Cæl. Dicet aliquis: hæc igitur est tua disciplina? Sic tu instituis adolescentes? &c.

Brachylogia: Est cum Orator breuitate sententiæ præcedit auditoris expectationem. Exẽplo illud Græci Oratoris Lysiadis. Quęris à me quo iure obtinere possim? quo iure Polyenus reliquit, quo iure Prætor dedit possessionem, leges me defendunt, ad te non pertinent; hi veritatem sequantur.

Subiectio, siue αἰτιολογία. Est prompta, & expedicta redditio ad id quod proponitur. Virg. Eclog. 3.

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?

Quæ

Quæ pertineant ad Fictionem.

AD *Fictionem* revocatur Prosopopœia, Ethophœia, Potopœia, Characterismus, Emphasis, Energia, Paralepsis.

Prosopopœia. Est ficta personarum inductio. Cic. in Catil. Quæ tecum Catilina sic agit, & quodammodo tacita loquitur: nullum iam aliquot annos facinus extitit, nisi per te; nullum flagitium sine te, &c.

Ethopœia sive Imitatio. Est cum nimià affectatione, & studio aliorum dicta, vel facta voce & gesticulatione referimus. Teren.

> *Pergin' scelesta mecum perplexè loqui: scio, nescio: abijt, audivi, ego non affui.*

Potopæia. Est quæ vel odio, vel iracundià, vel misericordia commovetur. Cic. pro Rosc. Amer. Nemo erat qui non arderet, omnia illa mallet, quam videre in Sexti Rosc. bonis dominantem.

Characterismus. Est cum personæ corpus, & mores effingimus, vt Thrasonem, & Deleam effinxit Terentius, & Virgilius Mercurium lib. 4. Aeneid.

> *Omnia Mercurio similis vocemq. coloremque.*

Em-

Emphasis ſive Significatio. Eſt quà aliquid ex verbis ſignificativis intelligitur, ſive latens, ſive expreſſum. *V*irg.Georg.1.

----- cum iam glandes, atque arbuta ſacræ
Deficerent ſiluæ.

hoc eſt, non ſolum profanæ, ſed etiam ſacræ.

Energia ſive Hypotyposis, aut Perſpicuitas: eſt quà formam rerum, & imaginem ita oratione ſubſtituimus, vt Lectoris oculis, præſentiæq. ſubiiciamus. Cic.in *V*err. Ipſe inflammatus ſcelere & furore in forum venit: ardebant oculi: toto ex ore crudelitas eminebat; expectabant omnes, quod tandem progreſſurus, aut quid acturus eſſet.

Paralepsis ſive Præteritio. Eſt cum dicimus ea, quæ fingimus velle præterire. *V*irg. Aeneid. 10.

Quid repetam exuſtas Eryſino *in littore claſſes:*
Quid tempeſtatum Regem, ventoſq. furentes.
Aeolia excitos, aut actam nubibus Irim?

Quid ſpectet ad ſermonis Abruptionem.

AD *ſermonis* Abruptionem pertinet Parecbaſis, Apoſtrophe, *M*etatheſis, Apoſiopeſis, Prodiorphoſis, Epanalepſis, Mætanea.

Di-

Digressio sive Parecbasis. Est alienæ rei, sed ad causæ vtilitatem spectantis extra ordinem excurrens tractatio. Cæsar. lib. 5. de Bello Gall. Erant in legione fortissimi viri Centuriones, qui iam primis ordinibus appropinquarent.

Aversio, sive Apostrophe. Est cum sermo à recto & instituto ordine ad aliud quicpiam convertitur Virg. 4. Aeneid.

Infelix Dido nunc te fata impia tangunt.

Variatio, sive Metathesis. Est cum causa transfertur in locum digniorem, aut magis profuturum dicenti. Virg. 11. Aeneid.

Hæc mea magna fides, & non Euandre pudentis,
Vulneribus pulsu aspicies.

Reticentia, sive Aposiopesis. Est cum pars aliqua sententiæ reticetur, & oratio quasi abrumpitur Virg. Eclog. 9.

Cantando tu illum?

idest indoctus peritissimum vinces?

Prodiorphosis sive Præcedens Correctio. Est cum aliquid necessarium, dictu, & insuave audientibus, aut odiosum nobis dicturi sumus,

mus, præmunit Exemplo illud Ciceronianum. Quamquam ſentio quantà hoc cum offenſione dicturus ſum, dicendum eſt.

Epanalepſis, ſive Subſequens Correctio. Eſt propriæ ſententiæ reprehenſio, & emendatio. *V*irg. lib.2.

Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo.

Mætanea. Eſt cum ipſe ſe qui loquitur reprehendit, & id quod prius dixerat poſteriori ſententià cõmutat. Cic. ad Heren. Eam quomodo victoriam appellent, quæ victoribus plus calamitatis, quam boni dederit.

Quæ ſpectent ad Amplificationem.

AD *Amplificationem* referuntur Exclamatio, Epiphonema, Noema, Paradoxon, Parreſia, Meriſmus.

Exclamatio, ſive Ecponiſis. Eſt elatio vehementior orationis. Cic. pro Mil. Oh Fruſtra ſuſcepti mei labores! Oh ſpes fallaces! Oh cogitationes inanes meæ!

Epiphonema. Eſt rei narratæ, vel probatæ ſumma acclamatio. Virg. 2. Georg.

---- *adeo à teneris aſſueſcere multum eſt.*

Noe-

Noema ſive Cogitatio. Eſt alluſio ad ſententiã cum, quæ non dicimus, intelligi volumus. Livius lib. 1. dec. 4. Athenienſes literis verbiſq. bellum adverſus Philippum gerebant: vbi defricate notat inbellem Græcorum iocacitatem: Et ſententia fiet hoc modo. Bellum armis, non verbis geritur. Item Ovid. Metamor.

——*fortiſq; viri tulit arma diſertus.*

Paradoxon, ſive Suſtentatio. Eſt quæ ſuſpendit auditorum animos, vt aliquid maius, vel minus obiiciat inopinatum. Matt.

Mentitur qui te vitioſum Zoile dixit:
Non vitioſus homo eſt, Zoile, ſed vitium.

Parreſia, ſive Licentia. Eſt Oratoris libertas, vel fiducia affectum mentis liberiùs exprimens. Cic. Miramini Quirites, quod ab omnibus rationes veſtræ deſerantur? id tribuite culpæ veſtræ, atque deſinite mirari.

Meriſmus, ſive Deſtributio. Eſt quæ ſingulas res ſeparatim diſponit, & ſuum cuique pecutiare tribuit. Lycurg. apud Rutil. Cuius omnes corporis partes ad nequitiam ſunt appoſitiſſimæ: oculi ad petulantem laſciviam, manus ad rapinam; venter ad avìditatem.

Ca-

Caput XVIII.

Figuræ Verborum.

Figuræ verborum, sive quæ sermonis constant perpolitione, tribus præsertim modis fieri solent.

Primò per Adiectionem. Secundò per Detractionem. Tertiò per Similitudinem.

Ad Adiectionem revocatur Anaphora, Antistrophe, Symplose, Cloce, Epanalepsis, Epanados, Epimone, Parelcon, Epizeuxis, Anadiplosis, Polyptoton, Antithesis, Synonymia, Polysyndeton, Climax.

Anaphora, vel Repetitio. Est quæ cum ab eodem principio sæpius ducitur Oratio. Virg. 1. Aeneid.

Nate meæ vires. mea magna potentia solus,
Nate patris summi, &c.

Antistrophe, sive Conversio. Est quà idem verbum sæpius in fines cōvertitur. Cic. in Vatin. Quare cum ego legem de ambitu tulerim, ex Senatu Consultu tulerim, sine vi tulerim, salvis auspiciis tulerim, salvàque lege Henià, & Fusiâ, tu eam esse legem non putes?

Sym-

Symploſe, ſive Complexio. Eſt quæ à repetitione incipit, & in converſionem deſinit. Cic. pro Mil. Quis eos poſtulavit? Appius: Quis produxit? Appius: Quem Senatus dãnavit: Quem Populus Romanus damnavit: Quem omnium exiſtimatio damnavit, eum vos ſententijs veſtris abſolvetis?

Cloce, ſive Copulatio. Eſt cum idem verbum repetitum mores hominis adſignificat. Cic. Ad illum diem Mennius erat Mennius. Et Ovid.

Talis mater erat, ſi modo mater erat.

Epanalepſis ſive Conduplicatio. Eſt cum eadem vox & initio, & in calce ponitur. Virg. Eclog. 7.

Ambo florentes ætatibus. Arcades ambo.

Epanados, ſive Regreſſio. Eſt quà ſemel propoſita iterantur. Virg. 2. Æneid.

Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo
Iam gravior, Pelias ſed vulnere tardus vlyſſi.

Epimone. Eſt cum verſus idem, vel ſententia orationi inſeritur, vt apud Virg. Ecl. 8.

Incipe Mænalios mecum mea tibia verſus.

Pa-

Paradiastole. Est Divisio eorum quæ vnam vim habere videntur, vt apud Virg. Ecl.3.

Triste Lupus stabulis: maturis frugibus imbres:
Arboribus venti: nobis Amaryllidis iræ.

Parelcon. Est cum ornatùs causà verbum syllabæ adiectione extenditur: Teren. in Adel.

Hoc tum facitodùm animo cogites.

Epizeuxis sive Subiunctio. *Est* vehemens congeminatio verbi in eàdem parte sententiæ. Horat. 1. Epist.

O ciues, ciues quærenda pecunia primum est.

Anadiplosis, sive Reduplicatio. Est cum vltima prioris versus, aut commatis dictio in sequentis initio iteratur. Virg. 10.

———sequitur pulcherrimus Austur
Austur equo fidens, & versicoloribus armis.

Polyptoton, sive Traductio. Est quà idem nomen, aut verbum diverso casu aliquoties immutatur. Virg. 4. Æneid.

Littora littoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor, arma armis &c.

Antitheſis, ſive Intentio. Eſt cum idem verbum in contrario ſenſu repetitur. Vt apud Virg.

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Synonymia, ſive Nominis Communio. Eſt cum verba idem ſignificantia coacervantur. Cic.epiſt. Promitto, recipio, ſpondeo.

Polyſyndeton. Eſt cum oratio multis coniunctionibus copulatur. Virg.2.Aeneid.

——Athamaſque, Toaſque,
Pelideſque, Neoptolemus, primuſque Machaon,
Et Menelaus, & ipſe doli fabricator Vlyſſes.

Climax, ſive Aſcenſus. Eſt commutatio ordinis, quà ita ab vno ad aliud deſcenditur, vt proximum ſemper verbum iteretur. Virg. 3. Aeneid.

Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit.

Quæ pertineant ad Detractionem.

AD *Detractionem* refertur Aſyndeton, Zeuma Rhetorium, ὑποζευγμένον, Sylleplis, Ellipſis, Litotes, Synœceoſis.

Aſyndeton, ſive Diſſolutio, vel Articulus. Eſt cum multa, ſine coniunctione, commota, aut inciſa cohęrent. Cic. pro Mil. Quod in me tantum facinus admiſi tu dices, cum illa iudicia communis exitij indagavi, patefeci, produxi, extinxi.

Zeuma Rhetoricum, ſive Adiunctio. Eſt quà plures ſententiæ vno inter ſe verbo connectuntur. Cic. pro Cluen. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Hypozeumenon, ſive Diſiunctio, fit cum ſingula verba ſingulis ſententiis vel rebus ſubiunguntur. Virg. 2. Georg.

Venit hyems, teritur Sicyonia, bacca trapetis:
Glande ſues redeunt læti, dant arbuta ſyluæ.

Syllepſis, ſive Correptio. Eſt cum duabus, diverſiſque ſententiis vnum apponitur, minimè vtriuſque conveniens. Virg. 8. Æneid.

Optimè Graiuginùm, cui me fortuna precari.
Et vittà campos voluit pretendere ramos.

vbi cui precari, & cui pretendere ramos, non eſt pari ratione connexum.

Ellipſis. vel Synedoche, Latine, Præciſio. Eſt cum ſupprimitur aliquod verbum ex cæteris intelligendum. Virg. 1. Aeneid.

Sed

Sed vos qui tandem, quibus aut veniſtis ab oris?

& Horat.lib.1. Sat.9.

——*Ventum ad Veſtæ*: ſub auditur Ædem.

Lytotes fit cum minus dicitur, & plus intelligitur. Virg.1.Aeneid.

Non ignara malis, miſeris ſuccurrere diſco.

vbi ignara malis, ideſt, atque in malis magnopere exercitata.

Synœceoſis. Eſt quæ docet diverſas inter ſe res coniungere, communique opinionum rationi adverſari. Exemplum ſuggerit Lyſias. Quapropter pergam in multos largitionem abſtinentiæ, teſtimonium non credideris; multo enim confidentiùs hoc genus hominum furatur: nam quo magis eget ad ſumptum ambitionis, tanto audaciùs facit rapinam, vt huic ipſi ambitioni copia ſuppeditare poſſit.

Ad Similitudinem quæ spectent.

AD *similitudinem* pertinet Paronomasia, Antanaclasis, Homœoptoton, Homœteleuton, Isocolon, Parison, Antitheton, Antimetabole.

Paronomasia, sive Agnominatio. Est cum literis paululum immutatis quàdam similitudine vocem in contrariam significationem deflectimus. Teren. in Andr.

Tibi erunt parata verba, huic homini verbera

Et Frusius in Calvinum.

Decipit ille, vocat qui te Calvine Minustrum.
Ingens te monstrum qui vocat, ille sapit.

Antanaclasis Paronomasiæ proxima. Est eiusdem verbi mutata significatio. Ausonius in Epig.

Quis neget Aeneæ magnâ de stirpe Neronem:
Substulit hic matrem, substulit ille patrem.

Homœoptoton, sive Similiter Cadens. Est cum verba, vel sententię ijsdem casibus finiuntur. Cic. pro Cæl. Cum tristibus seuerè, cum re-

missis

missis iucundè, cum segnibus grauiter, cum iuventute comiter.

Homœteleuton sive Similiter Desinens. Est cum dictiones vel sententiæ simili exitu respondent. Cic. sup. Quis in voluptatibus inquinatior? Quis in laboribus patientior? Quis in rapacitate avarior? Quis in largitionibus effusior?

Isocolon, sive Membrum. Est cum partes orationis constant pari fere numero syllabarũ. Plin. in Paneg. Traiani. Non mirum si ego terminũ nõ statuo tam graviter profitendi, cum tu finem facere nescias honorandi.

Parison sive Compar. Est cum membra orationis vno vel altero addito, aut in Superiore, aut in extremo pariter excurrunt. Aquila R. Neq; gratia diuitijs locupletum corruptus, neque minis & denuntiatione potentum perterritus: neque difficultatibus, & magnitudine rei à proposito deiectus.

Antithеton, sive Contrapositum. Est cum oratio ex contrariis amplificatur. Adrian. 2. Epigr.

Inventum dispar sunt vitis, & arca Noemi.
Naufragium hæc mundo substulit, illa tulit.

Antimetabole, sive Commutatio. Est cum sententia aliqua per contrarium invertitur. Cic. pro Diot. In dominatu fit servitus, in

ſervitute dominatus, & Cato: Edere oportet vt vivas, non vivere, vt edas. Hæc ſatis de Rhetoricæ coloribus, quos alii miſcebunt venuſtiùs, nemo curioſiùs.

Caput XIX.

Monita ad Actionem ſpectantia.

A*Ctio* (quam Græci vocant ὑπόκρισιν) Eſt apta Orationis Enuntiatio, & quaſi quædam corporis eloquentia.

Actionis præcipua adiumenta, doctore Plinio ſunt: Vox: Pronuntiatio: & manus, ſive geſtus: vnde Actio dicitur. Quare primum de Voce monita ſunt inculcanda.

De Oratoris Voce.

P*Rimum* Monitum. Vocis modum neceſſitas ipſa definiet; nimirum Loci amplitudo, auditorum frequentia, tua latera, & pectus; tametſi autem exordium ſedatiùs, & depreſſiùs pronuntiandum ſit, ne lædantur arteriæ, ſi priuſquam leni voce permulſæ ſint, compleantur: tamen adeo demiſsè ex-
or-

ordiri, vt circumfusà concione exaudiri nequeas.

Secundum. In narrationibus fluat plena vox, & simplex. In certamine vehementiùs intendatur. In Amplificationibus pro motuũ varietate: nunc flexibilis, & submissà; nunc gravis,& sedata: Nunc aspera & vehemens, adeoque etiam crebrà respiratione concisa: nunc hilaris, & tenera, nunc hæsitans, & abiecta: Tu licet eius quem dicentem audis linguam nescias, eius tamen affectus percipies, atque animo indues, si voci suæ, vt par est, moderabitur.

Tertium. Vocis vitia, quæ caveri debent, præcipua hæc sunt. Monotodìa, & cantus, quibus qui laborat, succinentes habebit dormientium auditorum ronchos, & bombos confabulantium. Cantu quidem laborasse sua ætate, causas omnes, & scholas tradit Quintilianus, addens nihil esse vel inutiliùs vel fœdiùs, nihil moventis affectibus absurdiùs: quamvis flexus aliquis vocis, & obscurior modulatio in cuiusdam periodi clausula admitti possit: Vt docet Orator.

Quartum. Vox vltra vires non est vrgenda, ne illo nisu suffocata & elisa videare strangulata felis: aut incidas in illam deformitatem, quam Græci appellant Closdon ab immaturo gallorum cantu: Spiritus ne crebro receptus concidat sententiam, nec eo

vſque trahatur, vt deficiens videatur eſſe reſpiratio ſub aquà diù latentis.

Quintum. Cavendum quam maximè eſt, ne vel ſpiritum cum ſtridore per raritatem dentium non recipias, ſeu reſorbeas; vel crebro anhelitu, & introrſum etiam clare ſonante, preſſos onere bajulos imitteris, quod tamen nonnulli affectant tanquam inventionis copia vrgeantur, maiorque vis eloquentiæ ingruat, quam quæ faucibus emitti poſſit.

Sextum. Clamor inter dicendum nimius, & immoderata per vices vocis elatio multũ dedecet Oratorem, auditorumque aures obtundit; cum & boare, latrare, & rumpere columnas, rerumque venalium præcones eſſe dicantur à Tullio, & Lutiano, qui id faciunt: Auguſtum præ cæteris D. Auguſt. effatum eſt. In imitenda voce non ne quod præco bene facit, etiam ſi clariùs, & meliùs efficiat, Senator inſanus eſt.

Septimus. Perennis ſit Oratio non præceps: non oblimat agros torrens aqua, ſed evertit: Orator debet eſſe gradarius, non veredarius. Medicus eſt in tranſcurſu: malè curantur ægri, niſi remedia immorentur: Tali verborum cum ſtrepitu ruentium impetu, ſolæ imperitorum aures capi poſſunt: Hæc præcipitantia, & volubilitas linguæ efficit vt effectus pereat, & verba ſui aliqua parte fraudentur.

Octa-

Octavum. Aequè ſtillare Orationem nolim, ac currere, nec velocitate obruere aures, nec moleſtâ tarditate eas extendere; Licet faciliùs inſidat quod expectatur, quam quod prætervolat. Somnum conciliant, qui verba vellunt, & dictantium potiùs ſimiles videntur quam dicentium. Inde Auguſtus facetè aiebat eiuſmodi Oratores, qui tractim dicerent, habere ingenium in numerato.

Nonum. Voci officiunt quæcunq; pectus, fauces, & ſtomachum: malè afficiunt, humor ſerotius, intempeſtiva ſtatim a cibo declamatio, nocturnæ vigiliæ, antelucanæ lucubrationes immoderatæ, nimia in dicendo contentio, frigidioris aëris afflatus: cum incalueris, duratio in ſudatâ veſte, ad hæc nuces, pyra, poma, & ficus.

Decimum. Quæcunque vero ſtomachum corroborant, & leniunt, ea præſtant bonitatem vocis, pruna dulcia, cremor ordij, ova ſorbilia, medicatum vinum, ſuccus amygdalarum, ſemen malvæ, mel coctum, ſaccharum, ambulatio tempeſtiva, ciborum digeſtio; optimè in hanc ſententiam magnus & dicentium Magiſter Quintilianus. Vox nec molliatur delitijs, nec imbuatur eà conſuetudine, quæ duratura non ſit; ſed talis ſit eius exercitatio, qualis vſus, nec ſilentio ſubſidat, ſed firmetur conſuetudine, quà diffi-

difficultas omnis levatur. Hæc de Oratoris voce, modo gestus consideremus.

De Oratoris Gestu.

P*Rimum* Monitum. Totus homo in capite est, vt aiebat Apulleus, quapropter summoperè Oratori elaborandũ, vt ne quid habeat offensionis. Erectum dignitatem indicat: Rigens & obstipum rusticitatem, in humeros inflexum muliebrem animum, Itaque vniversim sic moderandum est, vt nec videare saxeus, nec arguta & mobilis cithara, sed cum manu & lateribus graviter ac matnrè consentiat.

Secundum. Nihil æquè audientiam ac benevolentiam conciliat, quam modestus & verecundus vultus, & præsertim initio orationis: Multis, inquit, Liuius, plus pudor profuit, quã facundia: Pericles veniebat in concionem; tanquam in cœtum Deorum cælestium. Si cui erit insignis in vultu deformitas, quæ risum vel horrorem auditori moveat, ei auctor sũ, vt abstineat à dicendo, vel naturæ vitium corrigat, si potest, vel sublevet animi ornamentis.

Tertium. Oratori satagendum est, vt frons; quæ est mentis ianua, dignitatem præseferat: eam percutere ad dolorem, pudorem, admi-

miratiönem significandam licitum est: Asperata rugis planè est indecora, nisi ætas excuset. Quæ sudoris guttæ in vultu coaluerint, ita linteolo excipiendæ sunt, vt venustè, & quasi aliud agendo id fiat; nec proinde hæreat oratio.

Quartum. Domicilium mentis, & nuntij affectuum oculi, circumferantur gratà varietate, & ferè sequantur manum, Ante initium Orationis à sinistra in dexteram volvantur partem: Sint in humanitate blandi, in pudore demissi: in hortatione graves: flagrātes in iracundia, nunquam truces, non vagi. tremuliuè; In neminem auditorum præcipuè defixi. Lachrymæ, quas in gravi calamitate intimus doloris sensus exprimit, neutiquam dedecēt oratorem; immò etiam magnæ pondera vocis habent. Supercilia quoque inservient motibus animi significantis: si explicentur in lætitia, contrahantur in mœrore, in Iracundia contorqueantur.

Quintum. Crispare nares: Histrionicum est de nare loqui, licet id contingat naturæ vitio ijs, quibus spiritus per angustiores meatus parciùs emittitur, insulsum est; at si cui per negligentiam, quo modo ferendum? Fœda est vastior oris deductio, vaste enim hiare, est veluti faucibus velle excipere spectatores,

res. Fœdior oris & menti contortio, quod perinde videtur, quasi quis nucem perpetuò frangat. Nimia complexio, quæ formandis, & liberè emittendis vocibus officit absona simul, & molesta.

Sextum. In gestu: Manui dexteræ maiestas, pondus, authoritas, & principatus tribuitur: est enim dominantis rationis animatum Caduceum: propterea quæ sine dexterà, mãca est eloquentia: hoc habet insuper, quod sola moveri possit, quæ prærogativa non conceditur sinistræ: tamen in adversionibus, vt indignationibus, in contrapositis licebit leviter sinistram solam adhibere; Licebit & iis oratoribus, quibus ætas vel dignitas plusculum authoritatis concesserit: Iunioribus nunquam, Scœuolæ enim vix vtantur liberaliter instituti, micare digitis quasi in ludo, & incredibili motuum agitatione vti, hominis est, omnes Mathematicorum figuras in aëre conãtis effingere, non ex suggesto dicentis.

Septimum. Gestus Mimesi, & ethologici, vitandi, quod rectè fiet, si illos non magis accommodes ad verba, quam ad sensum: Hoc enim plurimum dedecet Oratorem, vt si Medici venas tentantis similitudinem, aut Citharædum variè fides pulsantem exprimas; aut de Mose loquens (quod qui-

quidem evenisse tradit Cresolius) adhibetis ad frontem digitis, & intentis cornuum effigiem repræsentes.

Octavum. Quamvis brachia dicantur iacula Oratoris, nec circumferantur laxiùs, nec compesceantur, aut moveantur subsultim: potissimùm verò est ita ventilare cubitos facilè, vt appareat te sutorem fuisse aliquando, aut cum cerdonibus versatum. Crebriùs & vehementiùs manu pulpitum percutere, vel pedibus supplodere bacchantium est, vel quorum verba in pugnis sunt, & syllogismus in calcibus. Licebit tamen aliquantum pedum supplosio in publica Patriæ calamitate, communi naufragio, in luctibus, ac funeribus describendis.

Nonum. Qui rustícano, vel inflexibili sunt corporis statu, nec vnquam nisi toto corpore circumferuntur, invenustè vacillantes, fluentesque: vel qui humeros inurbanè attollunt, habent plurimum offensionis; itaque quamvis trunco ferè immoto flecti debeat caput, suæ tamen sunt & tempestivæ corporis, & laterum flexiones. Erectus status, elegans filum, & liberalis palæstra corporis, valde conciliat auditorem.


Decimum, Postremò memineris Suadæ alumnus,

nus, Primas, Secundas, et Tertias Pronuntiationi datas à Demosthene, à Tullio, vocatam corporis eloquentiam. A Fabio dictum, ad illam egregiam condiscendam nihil æquè conferret, ac excellentis magistri exemplum: Hoc omnium maximè te poterit informare Divus Iosephus, pudicissimus B. Virginis Sponsus, & amabilis Divini Verbi Nutricius, cui totum hoc opus vovemus, vt à Patrono adeo nobili mutuetur disci cumulatè, perfecum qui fuit omnibus virtutum numeris absolutus.



EX-

EXPLANATIO



Pro Regulà Rudimentorum

Iuxta omnes Rhetoricæ numeros absoluta.

Interiectio est pars orationis, quæ varios animi affectus indicat.

Ex Emman. in octo Orat. part.

Quam pro rostris habere solent Ludimagistri Conimbricenses, In annuale studiorum probatione.

EXORDIVM.



IRABITVR fortè aliquis, quod non exiguam huiusce anni partem emensus, vix ad huc Rudimentorum vltimam metam attigerim. Faciat legendi facultatem Lusitaniæ Provinciæ Parens mitissimus, Religiosissimus, Observantissimus. Collegij & Artium Rector Benignissimus, emeritissimus, in Sacra Theologia Doctor Sapien-

pientissimus, cuius & chari parentis expertus sum favores, et cælesti scientiæ expertus fui disciplinam. Gymnasiarchus, seu potius Argus Athenei huius panoptis custos: Patres sciētiarum Robora, Religionis fructus, virtutū flores, Provinciæ fundamenta: Hospites qui adestis clarissimi, florentissimi. Mirabitur inquá forte aliquis quod nō exiguā huiusce anni partem emensus, vix adhuc rudimentorum vltimam metam attigerim, quæ iamdiù fervidis evitata rotis trasmitti debuerat, vt operæ aliquale pretium foret; cum præsertim alij Ludimagistri primo quidem mense ab his crepundijs se expedire consueverint; At non ideo Planetarum princeps citiùs exoritur, quia antelucani surreximus. Præstat angustioris clepsydris liquorē guttatim instillare, quam turmatim effundere, nè pereat. Difficiliùs profectò digeruntur esculenta, quæ stomacho nondum robustò festina mandibula subministrat.

Ne igitur incuriosus, iners, suique officij oblitus Ludimagister vobis vlla ex parte videatur, quæso, vt me dum libuerit, sicut facere instituistis benignè attentèque audiatis, et quantus qualisque in edocendis pueris labor ac industria nobis fuerit paucis absolvam, et hac arte primum nostros animi affectus indicabimus.

Di-

Diſpoſitio in ſcholaſticis exercendis.

NARRATIO.

C*Entum* ſupra nonaginta ferè ſcholaſticorum adnumeravimus, quorum alios Nominum Declinationibus, alios verborum Coniugationibus, alios denique Rudimentorum Inſtitutionibus deligẽter exercemus; his tanquam in totius latinitatis primis omnium fundamentis opportunè locandis totus ac præcipuus deſudat labor; neque enim vlteriùs progredi cuiquam permittimus, ſi in lectione quotidianâ, vel in vnum, aut alterum errorem dillabatur; eà de causà retrogradiuntur nonnulli, & pauci progrediuntur; ne curſim prælibare videamur, quæ altis defixa radicibus, vt par eſt, teneri oportet. Nam vt planta diffundi in ramos, coronari in flores, aut erumpere in fructus haud quaquã poterit, niſi altè radices agat: non aliter palæſtritæ, quos vt doctrinæ fructus expectatione dignus maioribus annis obveniat, iam nunc à teneris aſſueſcere inſtituimus laudis ſtimulis excitari, ideo Imperatores, Conſules, & Decuriones pro vniuſcuiuſque meritis deſignamus.

Hinc Romanorum, hinc Græcorum Imperiũ,

F vtrum-

vtrumque si nō Termino apud Veteres commentitio agrorum Numine, duabus veluti Herculeis columnis inter se dividitur. (Neque hic alius deerit Alcides, qui in studiorū monumentum possit ijs incidere. *Non plus vltra.*) Nec ab vno in aliud Imperium deficere facilè cuique non est, sic enim tam milites, quam Imperatores, quædam veluti conservandæ ditionis, & aviditas ad studiū rapit, & quasi admotis calcaribus æmulatio stimulat, vt animosè literarij pulveris labores substineant.

His duobus Imperiis, tanquam Ductor Maximus Ditator præest, cui potissimæ curæ est, an in repetendis lectionibus ad sua quæque spatia Decuriones dato signo se se deligentissimè recipiant: An aliquis huc illuc dissolutè divagetur; hos admonet, illos increpat, alios laudat, alios supplicio minitatur, denique de quocunque crimine fidem facit, vt posteà à Ludimagistro interrogatus criminis reum ad pœnam poscat,& arguat.

Mira

Mira industria in scholasticis ad studium excitandis.

AMPLIFICATIO.

SEmel in hebdomada ad communia progymnasmata vndequaque conveniunt, & flammis quasi martialibus succési se se prœlio accingunt, & ne in consequendis trophæis tota Imperatoribus gloria caderet, detonante iam certaminis tempestate Imperatores duos de militibus deligentissimos eligunt, vt qui victor evaserit, hic sibi trophæum, in oblivionis anathema, possit erigere: sic cum studio pugnandi desiderium in omnium animis indescriminatim eferve scit; Et ne cum certamine pereat victoriæ recordatio in virgineo antigrapho depingi iussimus quot vnusquisque trophęa, quot triumphos reportaverit; quoties Imperatoris munere, quoties dignitate Consulis functus fuerit, vt qui plurifariam hàc obiverit, digniori præmio redonetur. Ah? quoties non pauci, contempto cibo, non solum vngues, sed libros rodunt! quoties domi vmbratili veluti in pugna ad legitimos belli cógressus secum quotidiè deprœ-

liando proludere audimus, quoties dolore tacti ignescunt, ingemiscunt, illacrymantur.

Neque hæc vltima fuit nostræ, qualiscunque est, artis industria, Artem arti adiungimus. Triumphandi leges adscripsimus; ne quæ olim gloria Romanos Encomiastice evexit, illa nostris deesset Triumphatoribus, nam qui devictis decem hostium fortissimis militibus victor euaserit, hic communi omniũ suorum acclamatione, inter sui Imperatoris plausus, tanquam Triumphator honorificè excipiatur. Non tamen Romano more ad Capitolium gratias pro victoria Diis agere edocemus, sed ad sacrum illud templum à Salvatore nuncupatum, literariis Triumphatoribus nobilius Capitolium. Vbi Divina illa Tarpeia, Deipara Sanctissima, nostræ Academiæ Pallas Sapientissima, Scholasticorum doctissima Magistra, puerorum pia Mater: & Templi, & cœli custos vigilantissima ad fores divinæ Illius arcis, Scholasticos post studiorũ labores bipatentibus portis sponte excipit. At nos qui nullum non movemus lapidem, vt varios in audientibus animi affectus excitamus, ne impensam operam & oleum perdant, præ otio diffluẽtes, illam orationis partem, quæ occurrit enucleanda, expendamus.

In-

Interiectio Est pars orationis quæ varios animi affectus indicat.

DISPOSITIO.

INter orationis Partes, quæ octo quidem numerãtur. Nomen, videlicet, Pronomen, Verbũ, Participiũ, Præpositio, Adverbium, Interiectio, Coniunctio, vltimum sibi locum vẽdicat Interiectio, non quod primas non obtineat, sed quia vt certa certior docet Philosophia. A facilioribus ad difficiliora progredi necesse est.

Huius ergo regulæ explanationem magis ad expeditum Rhetorem, seu potiùs Athycum Philosophum, quam ad Ludimagistrum primis adhuc latinitatis elementis insistentem spectare quis non videt? quà igitur ratione tam varios animi affectus voce, oculis, gestu, ore, ac vultu exprimet, qui pectore latitantes consequi vix poterit: tot enim fingi, dissimulariuè solent, vt omnes non nisi apertà cordis fenestrà Momus ipse intelliget. Et hinc facilè erit conijcere inter orationis partes Interiectionem esse explicatu difficilimam; quomodo equidem palam fient animi affectiones, quas nonnunquam

faciliùs erit experiri, quam exprimere. Ideò fortasse Demosthenes inter Eloquentię partes primas tribuit Actioni, quod in digitandis animi affectibus, cæteris longè latèque excellat; Nam quis est qui nesciat gaudium non tam gestientis interiectionibus, quam ipsà oris lætitià, & exporrectæ frontis significatione demonstrari. Quis desitebitur mœrorem lacrymis potius, ac suspirijs suaderi; quam semel ac iterum repetitis verborum sonis, cum præsertim dissona vocis inflexio, vel quod aspera, vel nimio plus acuta attentionem non excitat: hac de causa Interiectionem non modo partem Grammatices, sed etiam Rhetorices, ad quā Actio spectat, non sine iure maximè adnumerandum existimo.

Interiectio est pars orationis &c.

EXORNATIO.

INteriectionem sic dilucidè Probus explicuit. Est Interiectio, quæ animi vario motu affectum designat; interdum enim gaudium, interdum mentis dolorem aliquem ostendit. Diomedes addit, incondita voce, Donatus, Priscianus lib. 14. appositè subiungit, voce non planè expresśà pronunciari;

ri; Solent enim animi affectus, cum intemperantes ſunt, præ ſui magnitudine vocem intercipere, quod in mœſtis non ita rarò evenit, vt aliquem latere putem; nam ſpiritus ſingultibus interclusus, vt olim contigit Evandro, vocem emittere non permittit. Æneid. 11.

Et via vix tandem voci laxata dolore eſt,

Iam verò in lætis nō diſpar exitus obvenit, animus enim nimiâ profuſus voluptate verba nonnunquam riſu intercipit, & aliquando ſic ſtrangulat, vt non planè expreſſa proferantur. Tantum igitur abeſt ab optimo quoque Oratore interiectiones incondité, & aliquando confusè edere vt Suadæ ornamento ſint, & non exiguo.

Interiectio Eſt pars Orationis.

DIGNITAS.

D*Icitur*, inquam, *Interiectio* ab interiectio interijcis, quaſi aliis orationis partibus ſit interiecta: Ad hoc potiſſimum inſervit,

vt varios animi affectus palam faciat: *Sunt* igitur Interiectiones verba illa, quæ tunc interponuntur, cùm medio in sermone sensum aliquem volumus interserere; tùm etiam cum verborum interiectione occultum aliquid manifestare contendimus.

Potissimum solent Oratores Interiectione vti, cum auditorum animos longâ attentione iam defatigatos reficere nituntur. Quintil. lib.4. cap.2. Ne sententia quidèm velut fatigatum intẽtione stomachum iudicis reficere dissuaserim, maximè quidèm brevi Interiectione. Omitto has orationis Interiectiones, vtpotè quæ ad rem nostram parum spectant: illarum enucleationem exigit locus, quæ, scilicet, variòs animi affectus indicant. quibus & Oratores, & Historici, ac Poetæ frequenter vti consuevere, vt testantur Latini Idiomati Antesignani Plautus, Terentius, Marcus Tullius, Mantuanus, & alii. Et quia variæ sunt animi affectiones pro cuiusque genio, ac conditione multifariam Interiectionibus vtuntur.

Explanationis Locupletatio.

IN laudando illa frequentissimè in promptu erat, Euge. Plaut. in Epidico.

Euge

Euge corpulentior videre, atque agilior.

In congratulando eàdem. Idem Plaut. in Mercatore.

Euge mi Demipho, ſalue.

In inſultando : Vah. Idem in Moſtellaria.

Vah quid illà poteſt peius quicquam muliere memorarier.

Item alibi.

Vah homo impudens!

Varijs in dolendo vtebantur Interiectionibus. Ah. Heu, Hei, Oh. Mant. Eclog. 1.

—— modo namque gemellos
Spem gregis ah! ſilice in nuda conixa relìquit.

Idem Æneid. 6.

Funeris heu! tibi cauſa fui!

Idem 2. Æneid.

Hei

Hei mihi! qualis erat, quantū mutatus ab illo
Hectore!

Cic. de Officiis.

Oh me miserum! oh infelicem!

Hàc etiam Interiectione in irridendo vtebantur. Idem Cic. de Amicitia. Oh præclaram sapientiam! Solem enim è mundo tollere videntnr, qui amicitiam è vita tollunt.

Eàdem insuper in indignando. Idem Tullius in Catilinam. Oh tempora! oh mores! oh paterni generis oblite, materni vix memor.

In exultando hæc eàdem frequens erat. Virg, Æneid. 3.

Oh mihi sola mei super Astyanatis imago!

In se ipsum increpando hæc sæpissimè in vsu erat. Ah. Ah. Idem Mant. Ecl. 2.

Ah Coridon Coridon quæ te dementia cœpit.

In silentium imperando hæc non raro exprimebatur. St. Terent. in Phormion.

Quid? non is obsecro es, quem semper te esse dictitasti? St.

In admirando hæc proferebatur. Hui. Cic. ad Atticum. Hui! toties ne me litteras dedisse Romam, cum ad te nullas darem.

In timendo nō semel exprimebatur: Hei. Diomed. lib. 1. Plau. in Aulul. Hei occidi, lapides loqueris.

In deprehendendo aliquem ex improuiso At. At.

In præsagiendo malū. Væ, Heu. Virg. Aeneid. 6.

Heu quantum inter se bellum si lumina vitæ
Attigerint.

In execrando. Nefas, Infandum, Idem lib. 8.

——*sequiturque, nefas, Aegyptia Coniux.*

In exclamando. Proh. Livius de bel. Pun. 2.

Tantum proh dolor! degeneravimus à parentibus nostris.

In suspirando Ah Ah?

In lugendo Hoi, Hei.

In reiiciendo cum fastidio: Apage, Apagesis.

Reliquas, si quæ sunt, brevitatis causà prætermitto.

Laceti

Liceat modo aliquas heroico metro exprimere.

HYPOTYPOSIS.

Docta animi interpres solet Interiectio motus
Prodere, & affectus edicere corde latentes:
Lætitiam si quando velis exprimere risu,
Cum vel in effusos exundant gaudia rivos,
Euge, ait, O nostri pars maxima & intima cordis,
Macte animi fruere optatis: pede fata secundo
Euge aderunt: respondet enim sors vltima primæ.
Sic tamen illacrymans tristes solabere casus,
Aut sortem indignam: dolor heu conatibus audax
Invidit fortuna meis, grauiora querelis
Damna mihi toleranda manent! Hei flebile fatũ!
Dum quis in accensos irarum effunditur ignes,
Ardentesque vomit furibundo ex ore favillas:
Oh insane, audax, solves, per sidera iuro.
Dum præsaga mali Interiectio cauta futuri
Providet, exclamat: Væ! Væ! bella horrida bella
Ventura aspicio! Nova dum miracula cernit,
Hui miror! tanto sto pendula sacramento!
Dum monet, impatiens tranquilla silentia linguæ
Labrum vtrumque premit digito; St. Dum se increpat Ah Ah
Ah pudeat puerum lacrymantem cernere Iesum,

Bet-

Bethlemico in ſtabulo, Matriſq. ante ora gementem,
Et tu regifico blandoque recumbere lecto.
Sic ſolet occultos, certo velut indice, in auras.
Interpres animi Inecriectio prodere motus.

Religioſa pietas poſt ſtudij labores in Deiparam Sanctiſſimam.

PERORATIO.

HIc Virgini Matri pro fœlici certaminis eventu gratias referre, hic pro triumphi gloria, pro victoriæ palma, pro ſtudiorum incremento ſupplici prece trophæa ſolemus appendere; Sic enim ſtudij ardor, literarum deſiderium, librorum cura, ſcientiarũ amor, Deiparentis benigno afflatu in puerorum animis cum ætate indies augetur; nam cum virgineo amore ſtudium, cum ſtudio pietas, cum pietate, virtutum incrementũ coaleſcit, ſic ingenium in addiſcendo, alacritatem in percipiendo, vigilantiam in ſtudendo, curam in evolvendis libris, ſuavi quodam labore pueri facilè conſequuntur; ideo non ſemel negligentes deligentiſſimi, tardi alacres; remiſſi curioſi, faſtidioſi avidi, rudes perſpicaces, ignavi ingenioſi, timidi audaces contempto timore ſuaviter redduntur.

PRO-

PROLOGVS.

Iuxta Rhetorices numeros. In re Tragicomica.

PRologum præstolamini? in theatrum damus. Ecquod fert novi? cavillator agganiet? impostor oblatrabit? Immo, inquam, quid fert veteris? Pileum gestat novum: collare linea rugatum novum: Tunicam talarem novam: Zonam ex serico novam: periscelides sericatas: novos calceos fenestratos noviter: nova manuum redimicula: palium seu Epitogium novum: Quid plus novi? novam ravim, & novam bilim, vt intempestivos novatores exsibilem atque explodam; qui supercilio tumentes Catoniano, suspéso, & adunco naso, inflatà buccà insulsas novitates subhastare cupiunt, & in nihilo paratragœdiare: Non mihi est alienis auriculis escas emendicare. Vos ego longiùs abire iubeo oh Elegantiarum Salinæ! oh capita egregia Anticeris dignissima! Procul oh! procul este novati conclamat Prologus: Facessite hinc oh facetiarum venatores: nugarum pharmocopolæ! abite si meam iracundiam experiri non voltis. Hic nihil ridiculæ novitatis, sed coturnatæ gravitatis venditatur: Recedite deinde verbosi, loqua-

ces,

ces, Scurræ, Bardi, Ardeliones, & oblaterones cum cætera prole Mæviorum, Marsorum & Cherilorum grege: Attalorum & Suffenorum caterva: Hic alta silentia: nec my, nec gry audeat quispiam: actutum foras sine morulà paretote; nam Aecastor feretis lùbifragium, & vobis pulmones averruncabo: Ego enim è superiori loco valétissimus scholasticorum; qui si occasio ferat, non cultello, non siccà, non xiphomachærà, non rumphæà, sed calce, cubito, & pugnis incursabo vos fortissimus Pancrasiastes.

Sed ad mitiora: nescio enim quis irritavit crabonem, & octipedem excitavit: dicamus bona verba: Beneominatos vos esse velim, & salvos spectatores spectatissimi, integerrimi. At? quis vos hùc accivit, & invitavit? Anne Symphonia rauca alicuius Lenij defloccati, et ravistelli, qui solet per pagos, & villas obambulando tintinare? Oh he! Et quam egregiè decepti! Rursus quæ accedédi hùc, & hic sedendi causa? Anne suaves audiendi musicorum concentus gratia? Oh graciles cantatores! Oh philomelas Arcadias! æstivas cicadas appellabitis, quæ intersata læta, & lolia viatorum aures, et animas apolactizant! Quis ergo vos fefellit. Vos supplantavit? Quid? Oratores spectatis geniales, ac perdulces? Aedepol non illos gustabitis, nisi prologo nuntiaturo aliquid

quid esculenti, proculenti, obsonij, apophoreti, bellarijve pro munere largiamini: Sed ariolamini quid vobis duim quartani nasatuli? voltis vt vobis dicam,& prædicam? dicite Sodes, placet? arridet? Apage! modo nolui dicere, nolo vobis morigerari: Quid nunc? mihi minitamini? tirivilitium, scarabæiumbræ! vestras minas huius non facio. Blandimini & assentamini mihi? modo nútiabo, nam vestro cur obsequio ero ingratus? & maxime si linguæ, & animo faveatis.

Habetis igitur in præsenti Auditores humanissimi novam & inauditam antea inter Humanitatis cultores Celebritatem: Hoc est Totius LVSITANIÆ PATRONAM Singularem Deiparam Sanctissimam. Hoc vobis primus Orator, si non pro dignitate, pro viribus saltem fiet satis, & fidem meam solvet oppigneratam.

Postmodum? Quid eveniat ignoro: quidam nescio quis de genere Mercuriorum (malæ farinæ, & malæ frugis curculionem appello) ille vobis cæteram Spartam nunciabit. Quare hic finem facio, cum sciam vos iam longitudine meà nauseam eructare,& in os mille cruces iterando facere; nam ego mavolo sedulà brevitate vestræ lenocinari benevolentię, quam patientiam vestram adultà oratione sugillare. Valete, vel valetote.

TER-

TERNARIAE LAVREAE

Poetices.

Breuiaria corolla.

NAta corollis poetica eſt, ideò in lucem prodit laureata: quidquid enim regium aliquid ſpirat, ad coronas debet adſpirare, & cum Poetica adeo faſtuoſa ſit vt regia tumeat maieſtate, coronis anhelare neceſſe fuit. Sed adhuc regius apex poeticæ excellentiæ impar eſt, imperatorio ideo ritu tergemina laureà cõdecorabitur? Prima Poetarum laudibus florebit. Secunda Poeticæ Artis præceptis exornabitur: Tertia ex carminibus ipſis intertexetur.

Anteambula corolla.

NOn inſolens eſt Poetarum capiti corona, immo nil frequentiùs humanioribus in literis, vel nolentibus fit obuiam, quam poe-

tarum tempora laureata. Idcircò huic ergo qualicunque elucubratiunculæ laureatus titulus, quem consulto præfigimus, aptè consentit. Nec vobis hujus Parnassi accolæ felicissimi tàm gloriosa nomenclatura, vt spero, futura erit injucunda; vnusquisque enim vestrùm præclaro coronæ nomine per audito ad coronas consequendas animosiùs adspirabit, & in hoc Rhetorico puluere Apollinarem lauream promereri, per aliquod temporis viriliter insudabit.

Erit ergo hæc palęstra Parnassus illo altero lõgè felicior, in illaque non solitaria, sed multa germinabit laurus, vosque singulis diebus, seu potiùs horis & somniabitis in Parnasso Somnia formoso candidiora die, & laureas ex lauris decerpetis, vt labor, quem in poeticis elucubrationibus impenderitis, coronæ blandimento sit facilis annuente Propertio.

Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires,
Non iuuat ex facili læta corona iugo.

Interim tamen dum parantur ornamenta, dum innectuntur corollæ spe præsumite palmas, quia.

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.

Et tandem

Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis.

CO-

COROLLA I.

De coronarum consideratione.

ADeo arrisit naturæ coronarum figura; vt nihil penè sit in toto terrarum orbe, quod expressam coronarum similitudinem non æmuletur adumbrare. Liberam oculorum aciem per vniuersum orbis ambitum curiosiùs circumflectite, & quocunque inciderint oculi coronas suauiter offendent, quidquid enim exploranti oculo obiicitur coronarum similitudinem præsefert.

Et ne longiùs roganti calamo excurramus à nobis liceat exordiri, quibus adeò familiares, ac domesticæ sunt coronæ; vt non solũ nobis inter manus versentur, sed etiam pedes inter detonante quodammodo maiestate, ac deferuescente tumore proterantur. O gloriosa pedis offensio, quæ in coronarum pretiosum obstaculum incurrit! Quis credat coronarum superbos apices, & fastigiatos vertices ita vilescere posse, vt non erubescerent proculcari: sed ita crebro accidit hæc felicitas, vt ipsa frequentia vilescat; quoties enim homines mouentur toties pedibus coronas distribuunt, non enim rectè gra-

diuntur, ſed paſſibus obliquis circunrotantur: Quis audebit deinceps mortalium veſtigia contemnere, quæ victricia exarant elementa, & quoties vel leuiter ambulant, toties triumphali incedunt greſſu: O notæ nó puluere, ſed cedro dignæ! Non ſolo exarandæ, non lubrico cœno effingendæ, vt momento extabeſcerent, ſed ſyderibus altè incidendæ, vt immortaliter perennarent.

Sed Deus bone, mi Rhetor, ſerionè, an jocosè hæc nobis paradoxa inculcas? Per ludibriũ nè, an per amentiam? quod deterioris notæ eſt, res adeò inſolentes, & ſuperbas audes in publicum proferre? Iunonio, vel teſtudineo gradu incedere vidi plurimos, coronato neminem: quæ commercia hominum veſtigijs cum coronis? Quæ affinitas pedibus cum capite? Quæ ſimilitudo lutulento, cœnoſo, ac puluereo greſſui cum lautiſſima coronarum munditie. Abi cum tuis ſordidiſſimis corollis, & eas à puluere abſterge: dùm enim hæc tua ridicula exiſtimatio pedes & caput tumultuariò confundit, nec pedibus, nec capite ſibi conſtat.

Dicamus bona verba, quisquis es, qui ſupercilio, ac ſtomacho plenus hæc mea dicta cauillaris. Non indecoro puluere ſordidæ procedunt meæ corollæ. Hanc mentem nó ſine mente arripui, & eam bene cordatus pertina-

tinaciter ſuſtinebo . *N*emo equidem vel leuiter, veſtigium mouet , quin ſimul coronas exprimat; cum enim non ſuper patentem , ac latam planitiem incedit; ſed ſuper ſphæricum telluris globum, neceſſarium quidem eſt , vt quoties è loco migrat, non recto incedat curſu , ſed orbiculatim circumflectatur .

Vnde ſi fabuloſa gentium numina ita faſtuoſo ac ſingulari agebantur greſſu , vt vel ſolum pedum inceſſus diuinitatem gradiuntem ſine alio præconio, commendaret , vt cecinit olor Mantuanus 1. Aeneid.

Et vera inceſsù patuit Dea.

Homines etiam ita gloriosè , ac magnificè gradiuntur , vt coronato quodammodo inceſsù moueantur . Sed jam demiſſos ad pedes oculos in ſublimi pauliſper extollamus . Ibique triumphalem coronarum ſimilitudinem ſingulari oblectamento reperiemus . Si editiſſima montium ſupercilia ſuſpicitis : ita horreſcunt in ſaxa , ita lapideſcunt in ſilices , ita exaſperantur in rupes , ita ſylueſcunt in frondes , ita comantur in ſyluas, ita cauantur in antra, ita hiant in ſpelæa , ita fatiſcunt in critas , ita erumpunt in fontes , ita faſtigiantur in vertices , ita in colles clementer aſſurgunt , vt eminentiſſimæ jacen-

tis telluris coronæ haud inuenustè videantur.

Si depressos vallium anfractus despicitis: ita consitis arboribus coronantur, ita variis recessibus inflectuntur, ita tortuosis flexibus implicantur, vt confusa quadam pulchritudine coronarum elegantem formam ad viuum gestiant æmulari.

Si præterlabentium fluuiorum cursum, & ebullientium aquarum ad lassitudinem oculorũ releuandam intuemini; nam ea lenitate salientes riuuli oculis blandiuntur, vt lassi ex aliarum rerum obtutù recreandi ergo riuos adeunt, vt se reficiant, & veluti aliarum rerum imaginibus defatigati, vt sibi ferientur, ad fluuiorum vortices, veluti ad spectacula confluunt, & veluti ad theatra diuertunt. Hi tamẽ tot errantibus flexibus circunlabũtur, modo intersecant syluas, modo circumfluunt nemora, modo fastigiata montium dorsa tumenti gurgite circumlãbunt, modo perstrepunt inter saxa, modo garrulant inter lapillos, modo tacito cursu arenas inter decurrunt, modo inoffenso pede defluunt. modo saxorum molibus obiectis rupibus infracti violentiùs remurmurant, modo inter alueum continentur, modo ruptis aggeribus intumescente gurgite restagnant, modo comantium arborum radicibus, quæ fluuiorum marginibus lenitér incumbunt, salientibus

aqua-

aquarum ampullis blandiuntur, modo halantium florum pompæ liquidà vndarũ crystallo adulantur, modo ramentis aureis flauentes inter arenarum cumulos intermicãt, modo vrbium mœnia circunradunt, nũc tortuosis flexibus in se quodammodo relabentes sibi metipsis implicati occurrunt, donec coronatis vorticibus, & circumfluis Mȩandris in mare se se exonerant. Vnde à poetis cornigeri passim dici solent. Virg. 8. Aeneid. sic refert.

Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.

Lunati incornua, & erraticos in circulos circumflexi coronarum instar in pelagus deuoluuntur.

Nec solùm fluuii præterfluunt, coronatis Mæandris dilabuntur, sed etiam dùm pigra, ac immota palude languescunt. Si enim implacidum stagnum altè librata dextera ponderosum lapidem ejaculatus fueris, vel etiam si tenuissimum lapillum leni brachio inieceris, statìm lapidis ictù verberatæ aquæ commouentur: easque in multos orbes descendedere videmus, & fieri primùm angustiorem orbem, deindè latiorem, ac deindè alio maiores, donec vanescat impetus, & in planitiem commotæ aquæ soluantur.

Si verò cauis manibus, vel cyatho paululum,

aquæ haurias], ſuperque herbeſcentem crepidinem infundas, imminentes herbarum thoros tenuiſſimis guttulis inſpargendo, vel potiùs gemmeis ampullis intercælando, ſtatìm diſperſæ quoquouerſum guttę in cryſtallinos circulos coguntur, & in argenteas ſphærulas addenſantur, vt circulari illa figura ſibi mutuò opitulentur, ne à ſemetipſis diſcordia diſiunctæ penitùs exareſcant.

Sed ſatis de fluuiis ſpectatum, ab illis obtutum auertite, & vagantem oculorum aciem per nemora, & viridaria liberiùs circumflectite, quidquid enim in nemoribus amœniùs pullulat, quidquid ſuauiùs germinat in Elyſiis coronatum quodammodo effloreſcit. Nonnè omnes ferè arbores ita patulis vndequaque ramis funduntur, vt in gemmantem foliorum coronam cyrcinentur. Nonnè quercus circulari frondium pompa erumpit, nō pinus ab imo trunco ſenſim gracileſcens coronato tandem vertice explicatur? Nonnè Medica frondoſis ramorum circulis criſpata in virides foliorum ſmaragdos, ſpiſſo tegmine orbiculatim circunfunditur. Quid de roſæ elegantia referam? Nonne ita rubeſcētibus folijs dehiſcit, ita extra granoſum corticem explicato frondium orbe ardenter protuberat, vt in aureos foliorum circulos inflectatur.

Sed ſatis floribus indultum eſt, & delicioſis areo-

areolis curiosos oculos depauimus. Ad pulchriora theatra oculorũ aciem deducamus, collucentesque astrorum oculos, latèque patentem cœli machinam suspiciamus: & quidquid in tàm latissima sphærula offenderimus, coronarum speciem gloriosiùs repræsentabit. Omnes enim versatiles illæ sphæræ fornicato opere, & concamerata structura incuruantur, & ab Orientali parte vsque ad Occiduam, & ab Occidua vsque ad Orientalem discordi motus consonantia circumaguntur.

Sol etiam stellarum princeps, reliquaque planetarum fulgentissima lumina non fastigiãtur in pyramides, non acuminantur in cuspides, sed in circulos ad amussim rotundantur, & in coronarum lunatam formam inflectuntur.

Quid de triumphali illo arcu referam, quem pluuiosus aër ambitiosiùs erigit, ac si tàm versicolori corona de cœlo ipso præsumat triumphare? Quot enim aquarum guttulas nubes illa rocida intra prægnantem sinum continet, tot coloribus aduerso sole percussa discriminatur; modò sub flacco colore suauiùs rutilat, modo cæruleo venustiùs nigricat, modo ferrugineo decenter obscuratur, modo rubicundo pretiosiùs incẽditur, & variato ambitu solares radios ad vnum ebibere meditatur. Sed iam in hoc triumphali

arcu

arcu grandioribus literis ad immortalitatem incidamus iactabundam Herculis epigraphem: Non plus vltra.

COROLLA II.

Poetarum tempora viridante lauro coronantur.

NEmo erit humanioribus literis vel leuiter imbutus, qui etiam per ludibrium ambigat, poetas viridi lauro coronari. Ita concinuit olor Lyricus lib.3.od.3.

—— Vt premerer sacra
Lauroque collataque myrto
Non sine Dijs animosus infans.

Et Valerius Flaccus lib.1.Argonaut.

Phœbe faue, si Cumææ mihi conscia vatis
Stat castâ cortina domo, si laurea dignâ
Fronte viret, &c.

Et Petronius lib.1.

Calliope doctis dat laurea serta poetis.

Ful-

Fulminat Papinius 4. Sylu.

Felix curarum, cui non Heliconia cordi
Serta, nec imbelles Parnaſſi vertice laurus.

Et infra ——*Amantes carmina Lauros.*

Floret Claudiani calamus de laudibus Hercu-lis.

——*Lauroſq; gerens, & florea ſertis*
Tompora vincta ſuis doctorum munera vatū.

Recinit iterum Horat. lib. 3. od. vlt.

——*Eſt mihi Delphica*
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Et ode 2. lib. 4.

Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces dithyiambos
Verba deuoluit &c.

Petrus Crinitus lib. 1. Poemat. 1.

Inperuirenti texere debitam
Lauro coronam Melpomene cupit,
Qua firmum ſtatuens decus &c.

Conſonat etiam Auguſtinus Maſchardus lib. 1. Sylu. Sylu. 2.

Alt y-

—Aloysius dùm fulgurat ense minaci
Ite leues hederæ, grauidi procul ite corymbi
Daphni vale, sertumque nouum mea tempora cingat,
Ipsa etiam quando damnauit casside lauros
Euterpe &c.

Et lib. 4. Syluar-

Non cui repexi crinis inambulat
Vndas vagantes Daphnis, *& osculis*
Adulat aurum flexuosis
Menti equitet Patareus Apollo.

Et lib. 1. Sylu. fol. 55.

Testis vetusti nobilis imperi
Alumna regum tacta manu fidês
Cum Cæsarum vatumque crines
Laurea frons eadem impediuit.

Sed modò premendum nobis est, cur poetarum tempora lauro potius, quàm alia quacunque arbore premantur? Cur non ex populo vt Hercules, de quo Virg. Eclog. 7.

Populus Alcidæ gratissima----
Et 2. Geor.-----*Herculeæq. arbos vmbrosa coronæ.*

Cur

Cur non ex Palladis oliua, vt legati & fœciales orantes pacem? Quo respexit Mantuanus lib,7. Aeneid.

Centum Oratores augusta ad mœnia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes.

Cur non rostrali, quæ erat ex auro fusa, & rostris nauium exasperata, dabaturque hostiles naues primùm ingredienti, vt expressit Olor Mant. 8. Aeneid.

Tempora nauali fulgent rostrata corona.

Cur non ex quercu, quæ dicebatur ciuica, & militi ob ciuem in prælio seruatum donari moris erat. Cui allusit Virg. 6. Aeneid.

Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.

Et Claud. in paneg. Olibrii.

----- Sæpe duces meritis tribuere coronas,
Nunc cingit muralis honos, hunc ciuica quercu
Nexuit &c.

Et in panyg. ad Stilic.

Mox erat in veterũ castris, vt tempòra quercu
Velaret, validis fuso qui viribus hoste

Ca-

Casurum morti potuit subducere ciuem,
Ast tibi quæ poterit pro tantis ciuica reddi
Mœnibus.

Cur non graminea, siue obsidionali, quæ omnium erat nobilissima, fiebatq. è viridi gramine, vbi obsessum exercitum seruabat aliquis: vt germinanti calamo refert Plin. lib. 21. fol.414. Corona quidem, inquit, nulla fuit gramineà nobilior in maiestate Populi Romani terrarum Principis, præmiisque gloriæ, gemmatæ & auræ; vallares, murales, rostratæ, ciuicæ, triumphales, post hanc fuerunt &c.

Cur non murali, quæ muri pinnaculis discriminata ex auro conflabatur & primo scandenti hostium mœnia dari solita fuit, vt refert ibidem idem Plinius. Cur non castrensi, seu vallari, quæ ingredienti hostium castra donabatur valli insigni orbiculatim expresso.

Cur non ex oleastro artificiosa elegantia innectebatur corona, vt apud Græciam in Olympijs certaminibus victori attexebatur coronando? Cur non ex pino; vt in Isthmijs? Cur non ex apio, vt in Næmeis? Sed ex lauro, vt in Pysthijs, quæ omnia eleganter collegit Archia poeta in hoc laureato epigrammate.

Qua-

Quattuor Argiuis certamina ſacra feruntur,
Bina hominum natis, binaque cælicolis.
Phœbo, ipſique Ioui Archemoro, & paruo Melicertæ
Poma, oleaſtra, apium præmia pinus erat.

Cur poetica corona non è floribus, ac roſis molliter innectebatur, quarum coronarum frequentiſſimus vſus in conuiuijs; fiebantq. præcipuè ex myrto, hedera, apio, roſis, viola, amaraco, lauro, narciſso, vt refert Athenæus lib. vlt. & videre eſt apud Horatium lib. 1. od. 36.

Neu deſint epulis roſæ
Neu viuax apium, neu breue lilium.

Et od. 38. lib. 1.
Diſplicent nexu Phylara coronæ
Alitte ſectari roſa quo locorum
Sera moretur,
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo, neque te miniſtrum
Dedecet myrtus, neque me ſub arctà
Vite bibentem.

Et od. 11. lib. 4.
Eſt mihi nonum ſuperantis annum
Plenus Albani cadus, eſt in horto

Phy-

Phylli nectendis apium coronis
Est hederæ vis.

Et lib. 2. Satyr. 3.

——Potus vt ille,
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquã est impransi correptus voce magistri.

Concinit Mart. in illo epigr. lepidissimo 50. lib. 13.

Texta rosis fortasse tibi, vel diuite nardo:
At mihi de turdis facta corona placet.

Et lib. 10. epig. 19.

Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Cum regnat rosa, cum madent capilli,
Tunc me rigidi legant Catones.

Plautus in Amphytrione act. 2. scena 4.

Capiam mihi coronam in caput, absimilabo
Me ebrium.

Ouid. 5. Fast.

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa.
Ebrius in vinctis phylara conuiua capillis
Saltat, & intrudens vtitur arte meri.

Consonat iterum Bilbilitanus lib. 5. epig. 65.

Pin-

Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturq. rosis tempora sutilibus.

Horat. iterum lib.2.od.7.

——— Quis vdo
Deproperare apio coronas,
Curatuè myrto, quem Venus arbitrum
Dicet bibendi?

Cur vatum crines non etiam præmebantur nouis, atque inusitatis Caligulæ coronis solis, ac lunæ siderumque speciem referentibus, quas exploratorias vocauit. De quibus Peroltus fol.784. Suetonius in Caligula c. 46. Comites, inquit, ac participes victoriæ nouo genere ac nomine coronarum donauit, quas distinctas solis ac lunæ, syderumque specie exploratorias appellauit &c.

Cur non ornabantur Gnossia corona, quæ scintillãtibus in orbem syderibus pretioso circulo collucebat, de qua Horat.lib.2.od.19.

Fas & beatæ coniugis additum
Stellis honorem, Factaque Penthei
Disiecta non leni ruinà
Thracis, & exitium Lycurgi.

Lentiùs Ouid. lib.8. Metam.

—— Opem Liber tulit, vtq; perenni
Sydere clarà foret sumptam de fronte coronã
Immisit cælo, tenues volat illa per auras,
Dumque volant gemmæ nitidos vertuntur in ignes,
Consistuntque solo specie remanente coronæ.

Virg.lib.1.Georg.

Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnossiaque ardentis decedat stella coronæ.

Fulgurat Mantuanus lib.1.

At parte ex alia claro volat orbe corona
Luce micans varià, nam stellà vincitur vna
Circulus in medio radians, qua proxima frontem
Gnossia desertæ fulgent monumenta puellæ,
Candidaq. ardenti distinguit lumina flamma.

Cur tandem non vmbrosis arundinibus, vt fluuiorum canentia tempora circuntegebantur. Vt Virg. de Tybri refert lib.8. Aeneid.

—— Eum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus, & crines vmbrosa tegebat arundo.

Eundem arundinea corolla circum inumbrat

Iau-

laureatum Claudiani plectrum in panegyr. ad Olibrium.

——Crispo densantur gramine colla,
Vertice luxuriat toto crinalis arundo.

Eàdem circuncingit Cephissum fluuium 2. de rapt.

——Hunc fracta Cephissus arundine luget.

Sidonius crispata arundine eundem Tybrim circunuestit.

——Et arundinis altæ.
Concolor in viridi fluitabat sylua capillo.

Mincium etiam arundinis vernanti tegmine inumbratum inducit Maronis Musa lib. 3. Georg.

Mincius & tenerà prætexit arundine ripas.

Sed huiusce coronæ nexus, & confusus labirynthus in sequenti corolla facilius, & vberius explicabitur.

COROLLA III.

Cur Poetarum tempora lauro coronentur?

MVltis de capitibus Poetarum capita laurea corona cingebantur. Cũ igitur è tot capitibus poterit hæc corona pullulare, non vno ſed multis ictibus erunt tot capita decapitanda.

Huiuſce igitur rei princeps, caput illud eſt Daphne, aurea quidem forma, ſed indole ſanè ferrea, quam Apollo vnicè deperibat, ſuperciliosó quidèm faſtu, & faſtidioſa ruſticitate ſylueſcentem in laurum pertinacitèr degenerauit. Quam ſingularem metamorphoſim ſingulari carmine deſcripſit Ouid. lib. 1. Metamorph.

Vix prèce finitâ torpor grauis occupat artus,
Mollia cinguntur tenui præcordia libro;
In frondem crines, in ramos brachia creſcunt.
Res modò tàm velox pigrls radicibus hæret,
Ora cacumen habent, remanet nitor vnus in illa.

Sed

Sed licèt Daphne in rigentem lauri duritiem immutaretur, non ideò blandientis Apollinis amor immutatur; Sed inter virentes lauri truncos animoſiùs reuireſcens laurum ſibi peculiariter ſacrari voluit, vt ſaltèm hoc obſequio ingrato Daphnes trunco morigeraretur, illiuſque cadaueri licet in arborem inconditè ligneſceret, amatorio ritù parentaret.

Quòd Laurus ſit Apollini deuota, multis poëtarum teſtimoniis liquidò conſtat. Ex Ouidio in primis lib. 1. Metamorph.

Cui Deus: at quoniam coniux mea non potes esse,
Arbor eris certè, dixit, mea, semper habebunt
Te coma, tè cytharæ, te noſtræ, Laure, pharetræ.

Celebre etiam eſt illud Maronianum Eclog. 7.

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Ideò laurus Phœbea dicitur ab Ouidio lib. 4. Triſtium.

Tempora Phœbea lauro cingentur &c.

Delia appellatur ab Horat. lib. 4. od. 3.

——*Neque res bellica Delijs*

Ornatum folijs ducem
Quòd regum tumidas contuderit minas
Ostendet Capitolio ,

Claud. in Epig.

Littora fatidicas attollunt Delia Lauros .

Ideò dicitur Delphica ab Horat. lib.3. od. vlt.

—— Et mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam .

Et ab eodem appellatur Apollinaris lib.4.od.2 & Sidonius eam Pythicam vocat.

Depone tantisper Pythicas lauros .

Seneca.

Effræna Phœbas entheas lauros quatit .

Hac ergò potissimum de causa Poetæ laurea coronantur, quia laurus Apollini dicata est; adeò enim in deliciis habentur Poetæ ab Apolline, vt illius deliciosa, & arbore vnicè adamata illos coronatos esse voluerit, vnde hoc solius muneris argumento Menalcas pastor se Apollini cordi esse significauit Eclog. 3. Virg.

Et

Et me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me
Munera sunt lauri, & suauè rubens Hyacinthus.

Similitèr quadam reciproca indulgentia, dum Vates ob laureato insigni distinguuntur, Apollini mancipatos se penitùs esse profitētur. Vt ex hoc omnibus perspicuum foret, neminem posse Apollineam lauream promereri, nisi cui Phœbus pleno afflatu adspiraret. Idcircò Lyricus Vates huic benignæ Apollinis auræ omnem poeticam supellectilem referendam esse ingenuè fatebatur od.3.lib.4.

Quòd spiro, & placeo, si placeo, tuum est.

Et lib. 4. od. 6.
Spiritum Phœbus, mihi Phœbus artem
Carminis nomenque dedit poetæ, &c.

Secundum igitur caput; Cur poetæ laurea coronentur, esse poterit, quia laurus perpetuò viret, eiusque folia adeò tenacissima sunt, vt nec sæuiente hyeme; nec perflante Austro, nec grandinante cœlo defluant, vt de Media cecinit Mantuanus lib,2. Georg.

——folia haud vllis labentia ventis
Flos apprimà tenax.

Hæc foliorum lauri conſtantia, ac frondoſa pertinacia præter quam quod experientia deprehenditur, circumfertur ab Ouid.lib.1. Metamorph.

Vtque meum intõſis caput eſt iuuenile capillis,
Tu quoque perpetuos ſemper gere frondis honores.

Iure igitur arbore nunquam ſeneſcente, ſed perenniter comante Poetarum tempora cinguuntur; nunquàm enim Poetarum nomina marceſcunt, ſed recenti hominũ memoria illorum Fama immortalis iuueniliter reuireſcit. Vt refert M.Tullius 1. de legib. Laurus æternum viret, vt nomen, & fama Poetarũ, quæ viret, & viuit annis innumerabilibus, quia carmina morte carent, & nullius agricolæ ſtips tam diurna, quam Poetæ verſus ſeminari poteſt. Horat. lib.2.od.20.

Non ego, quem vocas
Dilecte Mæcenas, obibo.
Nec ſtygia cohibebor vnda.

Et lib.3. od.3.

Non

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam, vsque ego posterà
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacità Virgine pontifex.

Consonat Ouid. barbitos 4. de Ponto.

Carmine fit viuax virtus expersq. sepulchri,
Notitiam seræ posteritatis habet.

Nec solùm Poetæ ipsi perennant immortaliter, & cornicibus fiunt viuaciores, sybillinos ac Nestoreos annos longè, lateque superantes, sed quicunque illorum carminibus meruerit celebrari ab iniuriosa temporis obliuione vindicatur, Lirica fistula perstrepente lib.4. carm.od.8.

Dignum laude virum Musa vetat mori;
Cælo Musa beat &c.

Etod. 9.

Ne forte credas interitura, quæ
Longè sonantem natus ad Aufidum
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.
Nec si quid olim lusit Anacreon
Deleuit ætas, spirat adhuc amor;
Viuuntque commissi calores,

Aeo-

Aeoliæ fidibus puellæ.
Vixere fortes antè Agammenona
Multi, sed omnes illachrymabiles
Vrgentur ignotique longâ
Nocte, carent quia vatè sacro.

Ideò suis in carmininibus monumentum adamante firmiùs, æreque diuturniùs erexisse se iactat gloriabundus Olor Lyricus lib.3. od.30,

Exegi monumentum ære perennius;
Regaliq. situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens,
Possit diruere &c.

Et Poeta nobilis sic.

Carmina qui regi, regum fert munera, vitam
Carmine post vitæ tempora Cæsar habet.
Carmine defunctus magnus nūc viuit Achilles,
Semper & Alcides carmine viuus erit.

Et alibi.

Gloria magnanimis Ducibus post funera vatū,
Carminibus doctis non moritura venit.
Est ea vis doctis, Lyce, oh præclare, poetis
Illis vt clades nulla nocere queat.
Si sileant chartæ, si quid benefeceris ipse,
Mercedis facti cœperis inde nihil,

Ite-

Iterùm recinit Rom. fidicen. lyræ lib.4.od.3.

Non incisa notis marmora publicis,
Perque spiritus & vita redit bonis
Post mortem ducibus: non celeres fugæ,
Reiectæque retrorsum Annibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Eius qui domitor nomen ab Africa
Lucratus rediit, clariùs indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides.

Hinc est quòd Maronis Musa, cùm vellet Euriali, & Nisi inuiolabili amicitiæ congratulari, recentem hominum memoriam eius carminum immortali beneficio non dubitauerit in præmium polliceri lib.9. Aeneid.

Fortunati ambo, si quid mea carmina possunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo,
Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumq. pater Romanus habebit.

Hanc etiam florentem, ac immarcescibilem memoriam carminibus attribuit arguta Ouidij chelys.

Quem laudant Musæ, viuet, dum robora tellus,
Dum cælum stellas, dũ vehet amnis aquas.

Tertium caput illud fortasse erit, quia laurus nec afflatur fulgure, nec fulmine tangitur, licet

licet pater Iuppiter ſacras iaculatus arces terreat vrbes, adeò enim religioſa laurus eſt, vt veluti ſacrilegium reformidet ignis, ſi illam vel leuitèr feriat. Quod fulminantis Iouis manus ſacratas lauri frondes ita veneretur, vt eas tonanti fulmine vel leniter afflare non audeat; teſtatur in primis ſolertiſſimus rerum indagator Plinius lib. 2. cap. 55. & Pierius Valer. de lauro. Hac etiam de cauſa circunferri ſolet, Auguſtum lauream perpetuò geſtaſſe ad fulmina retundenda præſentiſſimam, & pelle vituli marini ſæuà aliquà tempeſtate aduerſus fulgura præmuniri, vt refert Suetonius in Aug. cap. 89.

Idcircò laurea corona poetarum capitibus aptè cohæret, ſunt enim Poetæ humana ſpecie auguſtiores, & ſuperiore quodam ſpiritù afflati fulguris afflatus non expaueſcunt. Ideò modò diuini, modo Deorum ſecerdotes, modo ſacri eminentioris honoris gratia crebrò appellantur. Sic Rom. eloquentiæ Princeps in orat. pro Archia: Ennius, inquit, ſanctos appellat Poetas, quòd quaſi aliquo Deorum dono, atque munere nobis commendari videantur, proindè minùs mirum ſi non alium eſſe Poetam, quam virum bonum ſtatuunt prudentiores. Ouid. lib. 1. Amor.

Sanctaque maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus ———

Sic ab olore Venuſino coluntur lib.4.od.9.

———*Carent quia vate ſacro .*

Et in Arte .

Syluestres homines ſacer interpreſq; Deorum
Sedibus, & victù fædo deterruit Orpheus .

Et à Mart. epig. lib.7. 62.

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis ,
Impleuit magni quàm Ciceronis *opus .*

Plato varijs in locis illos vt diuinos ; ac cæleſtes veneratur lib. 2. de rep. eos Deorum Filios vocat. In dialogo Ione dicto ſcribit Poetam, non arte fieri, ſed afflatu diuiniore. In Phædro teſtatur nō hominum eſſe inuēta præclara poemata, ſed cœleſtia munera, hoc argumento ductus: nēpe quod, inquit, nemo, etiamſi orbem illū doctrinarum obierit accuratiſſimè , excellens euadet Poeta , ni cœleſtis ille vigor , & concitatio acceſſerit feruentior &c. Conſonat Ouidij lyra vocaliſſima lib.3. de Arte .

Adde

Adde quòd insidiæ sacris à vatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoque nostra bonos.
Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Sedibus æthereis spiritus ille venit.

Et Fastorum 6.

Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.
At sacri vates, & Diuûm cura vocamur,
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.

Hinc est, quòd stomacho plenus Pierius Valerianus inuehatur in quendam, eo quòd famosis conuicijs venerabile Poetæ nomen ausus fuerit sacrilegè lacerare, quia à Græcis Christianis hoc religiosissimo Poétæ nomine diuinus cultus Deo Opt. Max. ritè exhibetur. Sic ille lib. 29. lit. C. Ne ob hoc, inquit, huius, vel illius impuritatem sanctissimum Poetæ nomen profanaret, ipsumque totius mundi conditorem Deum, qui apud Græciæ Christianos Poetæ nomine sanctè colitur, incessere videretur, nàm quem factorem Cœli, & terræ nos dicimus, Græci dicunt. Ποιητὴν τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς. Ideò illud in laudem Homeri ab incerto authore iactatum fuit.

Si Homerus Deus est, venerare illum inter Deos,
Si non est Deus, putato esse Deum.

Ite-

Iterum recinit Ouidius 3. de Ponto Eleg. 4.

Ista Dei vox est, Deus est in pectore nostro,
Hoc duce prædico, vaticinorq. Deo.

Sonoro murmure inflatur bucolica Maronis fistula Eclog. 5.

Tale tuum carmen nobis diuine Poeta.

Claud. vernat pompa amœnissima de collega suo.

—— *Diuinum memorabo* Poetam.

Non tacet nasuta Horat. elegantia lib. Satyr. 4.

——*Neque, si quis scribat, vti nos*
Sermoni propriora putes, hunc esse Poetam,
Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque
Magna sonaturum des nominis huius honorem.

Vt diuini etiam Statiano calamo condecorantur lib. 1. Silu. pro Rutilio Gallico.

—— *Licet enthea vatis.*
Excludat Pimplea *sitim.*

Illud enim vocabulum (enthea) diuinitatem redolet, ac spirat. Hac de causa Poetæ olim cũ canerent, laureũ baculũ præ manibus ge-

ſtabant, vt hoc argumento ſe diuinitatè afflatos eſſe ſignificarent. Ita Cœlius Rhodiginius lib.7. cap. 1. Iterum modulatur *Horat.* in Arte Poet.

Et honor, & virtus diuinis vatibus, atque
Carminibuſque venit.

Idcircò antiſtites, & ſacri Muſarum Sacerdotes Poetæ ſolent appellari. Ita *Horat.*od.2. lib.3.

——Carmina non priùs
Audita Muſarum Sacerdos
Virginibus, pueriſq. canto.

Virg.2. Georg.

Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ
Quarum ſacra fero ——.

Tibullum hoc idem leniter modulantem auſcultate lib.2.

Phœbe faue, nouus ingredior tua templa Sacerdos.

Emunctas aures date Sulmon.3. Amor. eleg.7.

Ille ego Muſarum purus, Phœbiq. Sacerdos.

Et 3. Triſt. eleg.2.

Nec

Nec vos Pierides; nec ſtirps Latonia veſtro
Docta Sacerdoti turba tuliſtis opem.

Prop. auido animo excipite lib.3.

Primus ego ingrediar pura de fonte Sacerdos,
Itala per Graios Orgia ferre choros.

Fauet Arthemidorus lib.3. cap.13. dum refert Sacerdotes, & Vates habere eundem honorem. Et ideò Poetæ hoc Muſarum Sacerdotio initiati ſacra faciunt, ac ferunt atteſtante Manilio lib.4.

Hoſpita ſacra ferens nulli memorata priorum.

Et Perſio.

Ad ſacra Vatum carmen afferam noſtrum.

Hac de cauſa Threicius Vates in Elyſijs, vt Sacerdos inducitur à Marone lib.6. Æneid.

Necnon Threicius longâ cum veſte Sacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocũ.

Iuuat etiam hoc epigramma apponere, quia Poetarum cœleſte quodammodo genium, atque ingenium ſingulariter videtur explicare. Epigram. Græco idiomate compoſuit

Antipater Poeta, Guarinus Veronensis illud latinitate donauit.

Diceris à multis Colophonis alumnus, Homere:
Hic tibi dat Smyrnam, præbet & ille Chiũ.
Quin & Ion quidam, quidam Salamina superbam;
Thessaliam multi te genuisse ferunt.
Sunt & qui memorent aliјs te sedibus ortum;
Sic varijs natus crederis esse locis.
Dicere si liceat mihi Phœbi oracula: cœlum
Certa tibi patria est, Calliopeia parens.

Cùm igitur Poetæ adeò excedant communem hominum conditionem, non vt cæteri mortales humi serpunt, sed altiùs sese tollunt, & sublimiori volatu cœlos penetrant, & caput inter sydera condunt. Minimè ergò poterit Poetarum vertex perstrepentis fulminis ictu feriri, cùm sublimi feriant sydera vertice, vt cordata lyra Horat. fuit emodulatus lib.1.od.1. non enim tangitur fulmine, qui sydera tangit, vt sibi gloriabundus Papinius arrogabat lib.4.Sylu.de Epulo Domitiani.

——Medijs videor discumbere in astris
Cum Ioue, & Iliacâ porrectũ sumere dextrâ
Immortale merum——

Hos

Hos altiſſimos volatus ſuorum carminum præpetibus pennis fiſus ſibi inauguratur Mantuanus lib.3.Georg.

——Tentanda via eſt, qua me quoq; poſſim
Tollere homo, victorq. virùm volitare per ora

Et Propert.lib.3.
Quo me fama leuat terrâ ſublimis——

Et Sillius Ital. caput inſerit aſtris.

—— Feror arduus altas
In nubes——

Planiori aura attingentem ſydera Pindarum contemplamini Horat. modulante lib. 4. od. ſecunda.

Multa Dyrcæum leuat aura cygnum
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus.

Velociſſimas alas, vt cœlo ſe credat, ſuo etiam libellulo concinnat Martialis lib.1.epig.4.

Aethereas, laſciue cupis volitare per auras,
I, fuge, ſed poteras tutior eſſe domi.

Hac igitur potissimum de causa Musis alæ tribuuntur, quas à Sirenis in certamine superatis detraxerunt, easque suis humeris eleganter aptarunt, ad Poetas vsque àd sydera euehendos. Cum ergò Poetæ sint humanis rebus Superiores, altiusque variantis fortunæ discriminibus exerāt caput, & potiùs cœlo, vt indigetes, quam solo, vt cæteri mortales, vitam trahant; idcirco nullis periculis obnoxij subiacent, nullos flagellantis fortunæ ictus expauescunt, sed quàcunque fortuna maiores nullis casibus succumbunt, nulla pericula reformidant, Vnde si fractus illabatur orbis, impauidos ferient ruinæ Horat. iterùm attestante lib. 3. od. 4.

Vestris amicum fontibus, & choris
Non me Philippis versa acies retrò,
Deuota non extinxit arbos,
Non siculà Palinurus vndà.
Vtcunque mecum vos eritis, libens,
Insanientem nauita Bosphorum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Assyrij viator.
Visam Britannos hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum,
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inuiolatus amnem.

Et lib.1.od. 10. tam securum & procul à periculis se iudicat Horatius, vt nec per vmbram possit Musarum cultor vel minimo metu conterreri.

Musis amicus tristitiam, & metus
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare ventis.

Et ideò Musarum beneficio; tutelarique patrocinio rapacissimum illum lupum euasit in illius exitium tonaciori dentium attritu ferocitèr inuolantem.

Namque me syluâ lupus in Sabinâ
Dùm meam canto Lalagen, & vltra
Terminum curis vagor expeditus
Fugit inermem.
Quale portentum, neque militaris
Daunia in latis alit esculetis,
Non iubas tellus generat leonum
Arida nutrix.

Vltimum tandèm caput, propter quod Poetæ laurea donantur, & præ cæteris gloriosiùs est, & ita æstimari debet. Triumphantium enim coronam non alia ex arbore; nisi ex lauro attexere solebant veteres, Contestante Plinio lib. 15. cap. 30. Laurus, in-

quit, triumphis propriè dicatur. Et ſonante Marone Eclog.8.

Inter victrices dederam tibi ſerpere lauros.

Et concinente Horatio lib. 2. od. 1.

Et conſulenti Pollio curiæ,
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

Mitto alios paſſim hoc idem affirmantes. Eodem igitur inſigni triumphatores, & Poetæ glorioſiùs exornantur, acſi triumphantium capita, & Poetarum tempora indiſcriminato honore promereant condecorari. Triũphat enim, & Imperator, & Poeta; alter præclara facta obeundo, alter præclara facta ſcribendo, ideò

Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.

Sed ſi veritati ſtandum, iuſtior triumphus Poetæ. quàm Imperatori decernitur: difficiliùs enim eſt in Palladio puluere, quam in Martiali ſuperare, magis namque arduum eſt, res geſtas glorioſè canere, quã eas gladio perpetrare; multi enim ſunt, qui pugnantem Alexandrum adæquarunt, nullus fortaſsè, aut pauci, qui canentem Homerum æqui-

pa-

pararent. Et in hac re pro cunctis satis sit ipsius Alexandri testimonium, qui non Achillis gladio, sed Homeri calamo inuidebat Horat. lib. 3. od.3. Sed quo penna tendis! desine peruicax referre præclaros triumphos, & magna modis tenuare paruis. Sed non adeò seueri sunt triumphi, vt non salibus; ac iocis aliquandò intermisceantur, vt ait Mart.lib.1.epig.4.

Consueuere iocos vestri quoq. ferre triumphi:
Materiam dictis nec pudet esse ducem.

Sed tamen à posita priùs lauri descriptione à triumphalibus lauris, ad rusticas hederas descendamus.

Frondescit laurus imbricatis folijs crispata, odora frõde suauissima, tenaci folio immortalis, baccis pendentibus onusta, & inter virides foliorum smaragdos, internigricantibus vario discrimine conspicua, & ita patulam circumfunditur in propaginem, vt hospitali ramorum vmbra feruidum caniculæ æstum fallat, ac excludat, & opacam frondium fornicem, amœnissimè exhibeat, ad vmbram per otium recubantibus. Vos ergò vacui fessum laboribus latus deponite sub lauro mea ad Rhetoricum tædium subleuandum.

COROLLA IV.

Poetarum crines serpente hedera implicantur.

PAtiantur non ægrè quidem,sed voluptuosè laureati vates inter victrices hederas sibi serpere lauros. Sed autequam Dædaleo artificio errantes hederæ ramusculi in corollas inflectantur, iuuat illam transcursim describere, vt ex hac domestica hedera nobis semper ad manus sint folia, ad domesticos alumnos singulis diebus in hoc Rhetorico Parnasso ob carmina ad vnguem castigata exornandos.

Adeò imbecilla, ac tenuis à primis radicibus hedera pullulat, vt non possit præ imbecillitate consistere, nisi infantili modo adminiculo sit suffulta; sed nimirùm sibi cauens sensim adolescendo, ita pertinaciter adhæret, ne in posterum ruat, vt nullis ventorũ flatibus, licet insolenter desæuiant, auelli, ac decuti possit ab arboris trunco, quem multiplici nexu circunligat, vel à murorum fatiscentibus rimis, quas repetito brachiorũ amplexu circumambit. Ita enim nimia funditur, ita erratico serpit lapsu, tot nexibus im-

implicatur, tot foliorum tortuoſis gyris circunflectitur, tot clauiculis aſſurgit, tot ſtirpibus repit, tot manibus adhæreſcit, tot pedibus propagatur, tot flexibus replicatur, tot laqueis compeditur; tot curſibus retorquetur, tot intricatas fibras parit, in tot brachiola plurima ſylueſcit, tot nodis innectitur, tot virentibus catenulis illaqueatur, tot capreolis reflectitur, tot pectinibus protenditur, tot ſtolonibus funditur, tot flagellis in ſe recurrit, tot geniculis obrepit, tot ſpadonibus protrahitur, tot ſtirpiculis conſtringitur, tot nepotibus repullulat, tot furunculis iuueneſcit, tot draconibus criſpatur, tot iuniculis conſeneſcit, tot viticulis vagatur, tot malleolis irretitur; modò amico fœdere copulata frondeſcit, modo à ſe contraria diſiungitur, modo reuocata ſociatur, modo libera profugit, modò catenata comprimitur, modo ſe fugientem inſequitur, modo ſe fugit inſequentem, modò ſibi amica ſe ſe exoſculatur, modo inimica recedit, modo tenuioribus folijs pateſcit, modo denſioribus obſcuratur, modo racemis in orbem circumagitur, modo in anguloſa folia interciditur, modo in clypeata laſciuienti pōpa exhorreſcit, modo in rotunda clauiculatim circinatur, modo ſpargitur in corymbos, modo in acinos matureſcit, denique tam pertinaci frondium luxurie, & impor-
tuna

tuna brachiorum lasciuie scrupea saxa, hiãtes rupes, cariosas domos, satiscentes parietes, exesas turres, ruinosa mœnia, nodosos plantarum stipites, teretes arborum surculos capreolatim circumamplectitur; & tã intimo illapsu sese in sublime serpendo insinuat, vt etiam saxa rumpat, ac diffindat, arboresque strangulet, necet, ac sugat. Et nec grauis arborum casus, nec præceps murorũ ruina potest tam cæcos hedere nodos dissoluerę, tam arctam amicitiam intercidere, tam mutuos amplexus disiungere; sed adduc in ipsa ruina adminiculo, cui innixa à teneris adoleuit, constante amicitia animosiùs inhærescit. Rotundissimo epigrammate, & veluti à Musis dictato Angelij Colotij hanc descriptionem concludamus.

Subnascentem hederam trabeati in colle Quirini,
Nutrierat densis quercus opaca comis.
Nunc quia victa æuo viduata est frondibus arbos,
Pro merito altricem vestit alumna suam.

Hederam tortuosis fibris inerrantem, & muros, ac arbores circumlãbentem inspexistis, modo illam ad poeticas corollas attexendas deliciolo pollice decerpite.

Poetarum tempora hedera coronari ipsimet Poe-

Poetæ crebro ſuis in carminibus atteſtantur. Anteſignanus prodeat Virg. in Bucol. Ecl. 7.

Paſtores hederà creſcentem ornate poetam.

Conſonat Perſius in Prolog. ad Satyras.

——Quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces——

Argutè cecinit olor Venuſin. lib. 1. carm. od. 1.

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dÿs immiſcent ſuperis——

Et lib. 1. epiſt. 3.

——Seu condis amabile carmen
Prima feres hederæ victricis præmia,

Fauet Iuuenalis Satyr. 7.

Qui facis in paruà ſublimià carmina cerà:
Huc dignus venias hederis.

Quos inter non conticeſcit barbitos Sulmonenſis 3. Amor.

Obuius huic venies hedera iuuenilia cinctus
Tempora, cum Gallo docte Catulle tuo.

Et

Et lib.3. de Arte :

Nunc hederæ sine honore iacent ; operataque doctis
Cura, nihil musis, nomen inertis habet.

Iterùm concinit. 1. Trist. eleg.6.

Si quis habes nostris similes in imagine vultus,
Deme meis hederas Bacchica serta comis,

Idem argutè modulatur Mart. lib.1. epig.6.3.

Quid possunt hederæ Bacchi dare, Palladis arbos
Inclinat varias pondere nigra comas.

Et lib. 8. 76.

Non quercus te sola decet, nec laurea Phœbi :
Fiat & ex hedera ciuica nostra tibi.

Et Lucret. lib. 1. loquendo de Ennio, qui inter Latinos primus coronam meruit hederaceam, sic ait.

—— Qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

Propert.lib.4. eleg.1.

En-

Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi, Bacche, ex hedera porrige Bacche tua.

Non est etiam prætermittendus hac in re, sicut in cæteris laureatus Maſchardus lib. 2. Sylu. de Autumno.

Bacche veni, effusisque hederis, tremuloque corymbo
Aurarum ad lusum plaudentia flabra lacesse.

Et lib. 1. Sylu. carm. 2.

Ite leues hederæ, grauidi procul ite corymbi.

Vndè ad cunabulum vagientis adhuc Solominij ſerpentes hederas implicat Mantuanus, vt iam tunc reptanti puero repentis hederæ lapſu poeticam facultatem auguraretur. Sic Eclog. 4.

Errantes hederas paſſim cum bacchare tellus;
Mixtaque ridenti colocasia fundet Acantho.

Et Eclog. 8. hederas inter triumphales Augusti laureas, haud inuenuſte intermiſcet ad ſignificandum Imperatorem Auguſtum non à carminibus pangendis omninò abhorrere, ſed poeticæ facultatis ſtudioſum eſſe, illamque

que si non pleno animo hausisset, saltem summis labris delibasse, nec sibi indecorum esse inter victrices lauros poeticas hederas intertexere.

Cum ergò hedera sit Poëtarum corona, illis habetur in delicijs. Hac igitur de causa, cum aliquid politum, affabrè excultum, elegans, venustum, ac suaue significare volunt, hederas statim in medium proferunt; credunt enim tam pretiosa similitudine, omnia licet eximia, satis superque commendari; nam summo pretio habetur, quod cum capitis corona componitur. Idcircò Mantuani pastoricia fistula Eclog.3.vt pocula mira cælatura expolita, varijsque signis exasperata, vltra quam dici potest, extolleret, errantes hederæ lapsus, pallentesque etiam corymbos molliter circumquaque incrustauit.

Lenta quibus torno facili superaddita vitis,
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.

Et Eclog.7.vt Galateæ auream pulchritudinem summis laudib. eueheret, illam cum subalbicante hederæ viriditate componit.

Nerine Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cygnis, hederà formosior alba.

Sed hæc omnia missa facio, quia non tam re-

con-

condita: Maius negotium facessit sacramentum explorare, cur Poetarum tempora hederacea corona inumbrentur. Alij hunc solemnem morem in Bacchi honorem referendum esse putant, qua Baccho sacrata est hedera,& Baccho dicantur Poetæ;nam cum Liber pater peragrata India victorijs,triumphabundus ab ea discederet,se,suosque milites,hederaceis sertis redimiuit, vt refert Plin. lib. 16. cap.4. Et ideo Alexander Magnus, cum ex India victor remearet, vt Liberum patrem ambitiosè æmularetur,se,exercitumque suum triumphantem hederæ coronis exornauit. Vt affirmat idèm Plinius supra citatus.

Quod hedera sit Baccho sacra multis testimonijs constat, pauca seligo. Primum sit illud Ouid.6.Fast.

Bacche racemiferos hedera redimite capillos,

Constat etiam ex lyra Græca latinitate donata.

O semeles altrices Thebæ
Coronemini hedera.

Et ex Euripide.

Thebasque primas vrbem adiui Græciæ,
Ibi

Ibi fremuique pelle ſumpta nebride.
Hederæque thyrſum tradidi illo tempore.

Et ex Ouidio 3. Faſt.

——Hedera eſt gratiſſima Baccho.

Cur tamen adeò illi ſit in delicijs expendit ibi Ouid.

Hoc quoq. cur ita ſit dicere, parua mora eſt.
Nyſiades nymphas puerum quærente nouerca,
Hanc frondem cunis oppoſuiſſe ferunt.

Conſonat Homerus.

Tunc quoque paruus erat; ſyluiſque errabat in altis
Ornatus lauro, atque hederà.

Aliæ rationes, quæ multæ ſunt, videte in Mythologia Natalis Comitis fol.486. Solum illud tangò, nempè hedera coronari illum, qui Baccho initiabatur; vnde Baſſarides, & Lymphatę fœminæ hedera inumbrabantur; Dionyſio annuente in Coſmographia.

Concitæ agunt, vt lex, Baccho ſacra tempora ràmis
Deuinctæ nigris hederæ, ac pallente corymbo
Nocturnæ, clamorq. ingens conſurgit ad auras.

Hac

Hac igitur de causa hederà Baccho sacrà coronantur Poetæ, quia ipsi Poetæ sunt Baccho dicati, idcircò illius numen solent suis carminibus implorare, ab illoque in nemora, & saltus furioso quodam impetu agi. Audite Virg. 1. Georg. Bacchi auxilium exorantem.

—— Vos o clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum
Liber, & alma Ceres ——

Horatium auscultate Bacchanali enthusiasmo per nemora, & saltus deerrantem, sic ille lib.3.carm.od.25.

Quo me Bacche rapis tui
Plenum? Quæ in nemora, aut quos agor
in specus?

Et lib.2. carm. od.19.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, credite posteri,

Et paulò infra.

Euæ recentis mens trepidat metu;
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur ——

Est enim Bacchus Deus insanientium, & Poetæ furore Apollineo correpti insanire quodammodò videntur Horatio modulante, lib.3. od.4.

Auditis, an me ludit amabilis
Insania?

Sed de hoc flore poetico alibi nobis recurret sermo. Additur etiam adhoc, quod folia hederæ commanducata homines in furorē agunt. Vt refert Plutarch. in Problemat. Aliam rationem satis plausibilem inculcat Alciatus Embl.104. Sic ille.

Haud quaquam arescens hederæ est arbuscula, lisso
Quæ puero Bacchum dona dedisse ferunt.
Errabunda, procax, auratis fulva corymbis,
Exteriùs viridis, cætera pallor habet.
Hinc aptis Vates cingunt sua tempora sertis:
Pallescunt studijs, laus diuturna viret.

Nam licet sapientes, & præcipuè Poetæ assiduis studiis, & frequentibus elucubrationibus impallescant, vt modulatur Persius satyr,3. ad.Cornut.

At tē nocturnis iuuat impallescere chartis.

Et

Et Iuuenal. ſatyr.7.

—— Tunc vtile multis
Pallere, & toto vinum neſcire Decembri.

Ideò ad exprimendum hunc vatum colorem macilentum, ac fractum Perſius in Prolog. pallidam Pyrenen appellat.

Heliconidaſque pallidamque Pyrenen.
Illis relinquo——

Quia ex hoc fonte liquores hauriebant Poëtæ ad carmina pangenda conteſtante Papinio lib.1. Sylu.

—— Nec conſcia detur
Pyrene ——

Et propter hunc exanguem, ac buxeum Poetarum colorem, illorum imagines macræ, ac cadauerosæ appingebantur. Iuuenal.iterum annuente Satyr.7.

Huc dignus venias hederis, & imagine macrà.

Et ob hanc acerrimam in ſtudio operam Plin. Iunior lib.6.epiſt.epiſt.2. Regulum oratoré pallentem inducit, ſic ille: Cur, quæro, ha-

bebat in ſtudijs honorem? Timebat, pallebat, ſcribebat. Et lib.1. epiſt.5. Expalluit, inquit, notabiliter, quanuis palleat ſemper, ſcilicet ſtudiorum cauſa.

Licet ergò Poetæ ob indefeſſum ſtudium; & perennem in replicandis, ſeu potiùs in demorandis libris meditationem pallentis inſtar hederæ aliquantulum expalleſcant; attamen non eſt indecora hæc macilentia, nō inuenuſta hæc macritudo, nam vt hedera, licet expalleſcat, attamen perpetuò viret; ſic etiam Poetæ, licet primo adſpectu pallore ſuffundi videantur, attamen eorum fama, quæ his elucubrationibus fit venalis, immarceſsibilis effloreſcit,& recenti hominum memoria perennat.

Aliud ſatis reconditum arcanum in theatrum damus. Lauro enim, & hedera ideó vates inducuntur coronati, quia credebant priſci mortales cœleſti ſtatim numine afflari Poetas, vbi primum corona capiti imponebatur. Reſpicit Eunapius Sardianus in vit. Chryſantii: Tanta verò, inquit, illi erat affinitas, ac cognatio cum numine, vt capiti corona impoſita opus nō eſſet. Huc videtur ſpectare Ouid. 2. Faſt. quo in loco Arion cantaturus caput corona circuncingit.

——Capit ille coronam
Quæ poſſet crines, Phœbe, decere tuos:

Non

Nō erit abs re etiam huic attexere, ideò lauro, hederaque ſimul Poetas coronari, ad indicandum, neminem ſummum poetam poſſe euadere, niſi qui ingenio, & arte excellat. In lauro enim ingenita vis ingenii, & facilis venæ vbertas deſignatur, in hedera verò induſtria, ac labor exprimitur; hedera nãque, ſi eius naturæ imbecillitas ſpectetur, humi ſerpit, labore vero exculta ad parietes altiſſimè aſcendit, & arborum ſumma faſtigia ſuperat. Ita noſter Pontanus, & Pierius Valerianus de Hedera. Sed iam ab implicitis hederæ nexibus manum, & calamum expediamus.

COROLLA V.

Criſpante myrtho Poetarum crines innectuntur.

ET vos ò lauri carpam, & te proxima myrthe, ſic poſitæ quoniam ſuaues miſcetis odores. Miſcebatur aliquando myrtea corona cum lauro ad Poetarum crines varia fronde diſcriminandos. Lyricum olorē gemina corolla ſuperbientem, & ſuauiter emodulantem auſcultate od. 4. lib. 3.

Lauroque collataque myrtho,

Sed quarè geminatur corona Horatio? Quia non ſolum imbelli lyra mollitèr perſtrepebat, ſed etiam heroica tuba animosè perſonabat, & vtraque carmina ad vnguem caſtigata vberi vena profundebat. Vt idem met Horat. variis in locis ſe ſe arrogat: modo bifrontem, modo biformem vatem ſe ſe appellans ob ſtyli varietatem, præcipuè lib. 2. od. vlt.

Non vſitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates &c.

Duplici ergò poetæ duplex corona erat attexenda Epici enim vates laurea, vel querna corona cingebantur, vt videre eſt apud Mart. lib. 8. epig. 76.

Nec quercus te ſola decet, nec laurea Phœbi.

Et alibi.
O qui Tarpeias licuit contingere quercus.

De hac querna corona data Epicis à Domitiano videte Scaligerum, & Auſonium lib. 1. c. 10. Et noſtrum Pontanum ad Ecl, 7. Virg.

Ly-

Lyrici verò Poetæ, & Epigrammatarii, & Elegiographi, qui ludrica, amores, lusus, conuiuia, cyathos, pocula, flores, nemora, imbelli, sed festiua lyra meditabãtur. Hi omnes, & hedera, & myrto coronabantur. Vt videri potest apud nostrum Delrium ad lib. 8. Mart. epigr. 66. Sed de hedera dictum supra.

Formosæ myrtus Veneri --.

Et Georg. 2.

----- *Paphiæ de robore myrtus*;

& ideò myrtus fertiliori pompa iuxta littora progemmat, vt ait Virg. cit.

----- *Et amantes littora myrtos*.

Quia Venus ex marinis spumis veluti pretiosa gemma coaluit iuxta illud decantatissimũ.

Orta mari, suscepta solo decus addita Diuis.

Et Tibullus lib. 1. Eleg.

Quis venerem rapido sentiet esse mari.

Et Musæus.

An nescis Venus orta maris de semine quod sit.

Et Sidonius Antipater.

Egressam nuper Venerem de marmoris vndis,
Aspice præclari nobile Apellis opus.
Exprimit æquoreã manibus de crinibus vndã,
E longis spumas exprimit illa comis.

Et Papinius lib.1. Sylu.

Hæc & cæruleis mecum consurgere digna
Fluctibus, & nostrà potuit considere conchà

Et Orpheus in hymnis.

Cœlestis, genitrixque sonorì filia Ponti
Lætitiæque parens Venus.

Et Horat.4. carm.od.10.

Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Hac igitur de causa amœniori cultu myrtus iuxta maris crepidinem induitur, vt marinæ Veneri ridenti foliorum luxu,& cultiori ornatu applaudere, ac gestire videatur.

Non alia etiam de causa, nisi quod myrtus sit dicata Veneri, Mantuanus olor horrendis myrtetis,circumvallauit amantes apud Inferos in Campis lugentibus, sic 6. Æneid.

Hic

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit
Secreti cælant calles, & myrtea circum.
Sylua tegit.

Et ideò Æneas in 3. Veneri matri ſacrificaturus myrtea virgulta ad aram religioſo ritu obuallandam, infauſto tamen omine auellere conatur. Sic. Virg. 3. Æneid.

Sacra Dionææ matri, Diuiſq. ferebam &c.
Forte fuit tumulus iuxta, quo cornea ſummo
Virgulta, & denſis haſtilibus horrida myrtus.

Et in 5. eundem Aeneam myrto inducit coronatum, vt Veneri matri morigeraretur.

Sic fatus, velat maternà tempora myrto.

Iure igitur Elegiographi, & Lyrici vates Veneris myrto inumbrantur, hi enim & molles verſus, & dulcia concinunt carmina, lyras ſuauitèr percurrunt, cytharas facili digito feriunt, vocales fides harmonicè pulſant, tibias leniter inflant, fiſtulas clementi ſpiritu animant, & calentes iuuenum curas tenui plectro emodulantur. Eclog. 5. Sed dum ego

Defendo à frigore myrtos.

Longius quàm par erat inter horrida myrteta deerraui.

LAVREA

SECVNDA

De Poeticæ Artis præceptis.

IN hac laurea, quia tempus non ſuppetit tertiam lauream ſuaui miſtura coniungemus, quia vt cecinit Horat. in art. poet.

------Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amice.

COROLLA I.

Poetica deſcribitur, & præcepta illuſtriora traduntur.

POetica eſt fictæ, veræque narrationis congruenti rytmo vel pede compoſita metrica ſtructura ad vtilitatem, voluptatemque. Poematis verò tria ſunt genera, aut enim eſt Actiuum, ſiue Imitatiuum, quod Græci vocant Δραμματήκων, aut Enarratiuum, vel Enunciatiuum, quod Græci dicunt ἐξαγετήκων aut eſt Commune, vel Miſtum.

Acti-

Actiuum eſt, in quo perſonæ agunt ſine vlla poetæ interlocutione, vt ſe habent Comicę, & Tragícæ fabulæ, & aliquot Bucolica in Virgilio, vt exempli gratia: Tityre tu patulæ. Dic mihi Damæta. Et quo te Mæri pedes? Enarratiuum eſt, in quo poeta loquitur, quin aliqua perſona iuterloquatur, vt apud Vırg. ſunt tria Georgica, & carmina Lucreti. *H*uius generis ſunt tres ſpecies, ſcilicet Angeltice, Hiſtorice, Didaſcalice. Angeltice, eſt in qua ſententiæ deſcribuntur, vt eſt Theognidis liber: Hiſtorice eſt, qua narrationes, & genealogiæ componuntur, vt ſunt Heſiodij Theogonia: Didaſcalice eſt, in qua traditur Philoſophia, vt ſunt libri Varronis, Empedoclis, Lucretii: item, Aſtrologia, vt Arati.

Commune genus poematis eſt, in quo & poeta loquitur, & perſonæ loquentes etiam introducuntur, vt Ilias, & Odyſſea tota Homeri, & Virgilii Aeneis. Materia poematũ triplex eſſe poteſt: vel omnino vera, quæ dicitur Hiſtoria: vel nõ vera, ſed veræ ſimilis, & quæ geri potuit, & dicitur Argumentum: vel nec vera, nec veræ ſimilis, vt ſunt multa figmenta poetarum, & dicitur Fabula. Hæ materię ſi ſunt de rebus diuinis, aut magnis ſublimi characteri, & heroico carmini conueniunt; ſi ſunt mediocres, vt doctrinales,

les, mediocri ſtylo decantantur: ſi ſunt humiles tenui charactere deſcribuntur.

COROLLA II.

De carminum attributis.

IN quouis carmine decem maximè conſideranda ſunt: Pedes, Genus, Species, Dimenſio, Depoſitio, Cæſura, Forma, Habitus, Diſpoſitio pedum, Affectus. Pedes certo ſyllabarum numero, atque ordine definiti ſunt. De his conſulite Emmanuelem in proſodia.

Pedes comitantur decem, ſcilicet Arſis, Theſis, Nomen, Tempus, Numerus, Figura, Locus Reſolutio, Proportio, Diligentia. Arſis eſt in initio pedis vnius, aut plurium ſyllabarum elatio, Theſis eſt in fine pedis vnius, pluriũnè ſyllabarum depreſſio. Nomen eſt, quo vnuſquiſque pedum appellatur, & varia ſunt nomina, vt conſtat ex Emmanuele: Tempus eſt, ſyllabæ vel longitudo, vel breuitas: Syllaba lõga duorum eſt temporum, breuis verò vnius. Numerus eſt multitudo ſyllabarum in ipſis pedibus. Quot ſyllabas habeat vnuſquiſq. pedum patet ex Emmanuele. Figura eſt, qua alij pedes ſunt ſim-

ſimplices, alii compoſiti, ſimplices ſunt omnes diſyllabi, ſeu triſyllabi, reliqui verò ex his compoſiti ſunt. Locus eſt ſedes pedes. Reſolutio eſt, cum pro vna ſyllaba longa, duæ ponuntur breues, hoc eſt, cum pro pede legitimo ponitur æqualis temporibus, vt pro ſpondeo dactylus, pro dactylo Proceleumaſticus. Proportio in pedibus eſt muſica quædam partium, qua Arſium cuiuſcũque pedis cum Theſi metiendo conferimus. Differentia pedum eſt quà alter ab altero differt, & hæc eſt multiplex, alii enim ſunt ſtabiles propter tarditatem, vt ſpondeus, alii mobiles propter æqualitatem, vt dactylus anapæſtus, alii ſunt humiles, quales ſunt qui è breuibus conſtant ſyllabis, vt pyrrhichius, alii ſunt acres, qui è breuibus ſyllabis ad longas adſurgunt, vt anapæſtus, alii ſunt lenes, qui à longis in breues deſcendunt vt dactylus.

Genus eſt nomen carmini inditum ab ipſis pedibus. Carmina, quod ad genus attinet, nomen accipiunt vel à pedibus ſimplicibus, vt Iambicum carmen à Iambo, vel nomina ſortiuntur à pedibus geminatis, vt Choriãbicum, Antipaſticum. Species à Recentioribus Appellatio dicitur, quod nominis causã vel à perſonis, vel à rebus ſumptam contineat. Ex Specie verſus nomina ſortiuntur, vel ab inuentoribus, ſeu authoribus, qui

eos

eos maximè frequentarunt. Vt Alcaicus, Anacreonticus, Asclepiadeus, Pindaricus, Sapphicus, Pherecratius, &c. Vel nomina accipiunt à personis, de quibus agitur. Vt Heroicus. Vel à pedibus ipsis, vt Dactylus, Spondaicus, vel à numero syllabarum, vt Pentasyllabus, Heptasyllabus, Hendicasyllabus, vel ab instrumētis, vt Lyricus à lyra, vel à pede vitiato, vt Scazon, vel à genere orationis, vt Epicus, vel ab argumēto, seu materia, vt Elegiacus, Hymenaicus, Bucolicus, Epitaphius, Epithalamius: Vel à loco, vt Deliacus, & Carneus, qui Apollini Deliaco, & Carno decantabantur: Vel à tempore, vt Laconicus, qui olim vsurpabatur in Laconiâ, vel à numero versuum, vt Distichon, Tetrastichon, Hexastichon, Ogdoastichon, Decastichon, Dodecastichon, idest duorum, quatuor, sex, octo, decem, duodecim versuum epigramma.

Versus dimidius dicitur Hemistichium, seu Comma, vt Audentes fortuna iuuat. Hemerostichon dicitur versus dierum numerum continens. Esteostichon, qui annorum numerum exprimit. Acrostichon, cum primæ versuum literæ ordine collectæ certum sensum præbent.

Græci in dimitiendis carminibus dissentiunt à Latinis, è duobus enim pedibus vnam efficiunt dimensionem; Latini verò de singulis pe-

pedibus dimensionem faciunt, vnde versus, qui à Græcis Monometer, Dimeter, Trimeter, Tetrameter dicitur à numero mensurarum duos pedes comprehendentium; à Latinis dicitur Binarius, Quaternarius, Senarius, Octonarius ex pedum numero. In Elegiacis, & Epicis carminibus conueniunt Græci cum Latinis. In aliis mensura Græca fit per dipodiam, hoc est per coniunctionem duorũ pedum, Latina verò fit per monopodiam, hoc est per numerum singulorum pedum.

Depositio, quæ ab aliis Cognominatio dicitur, est in fine versus perfectio, aut imperfectio syllabarum. Vnde ille versus dicitur integer, & perfectus, qui legitimo fine clauditur, & cui nihil ad extremũ deest, hic à Græcis Acatalectus dicitur: Ille cui ad extremum deest syllaba vna, dicitur Mutilus Latinè, Græcè autem Catalectus; ille cui redundat syllaba vna in fine vocatur Hypercatalectus.

De cæsura videte Emmanuelem in prosodia.

Forma, (quæ à nonnullis compositio dicitur) est ipsorum carminum, aut pura continuatio, aut varia connexio. Ratione illius, aut carmen est Monocolon, idest vniforme, cum versus generis vnius cõtinuantur vsque ad finem, vt exempli gratia, cum omnes sunt Iambici. Aut est Dicolon, cùm versus generum duorum iunguntur, vt Hexametrum cum Pentametro. Aut est Tricolon,

lon,cum trium generum verſus copulantur, aut eſt Tetracolon, cùm quatuor generum carmina miſcentur.

Habitus ſubijciturFormæ,ſeu Compoſitioni,& conſequitur nomen à partium numero, quę partes à Græcis Strophæ, å Latinis Conuerſiones dicuntur. Propter Habitum, carmen aut eſt Monoſtrophon, ideſt quod replicationem non habet. Vel eſt Diſtrophon,cum poſt ſecundum verſum ad prius genus reuertimur, vt in Elegiacis. Tiſtrophon cum poſt tertium verſum reditur ad primum. Tetraſtrophon, çum poſt quartum verſum fit ad primum reditus. Hunc numerum non excedit Horat. Pentaſtrophon, cum poſt quintum verſum fit regreſſio ad primum. Affectus partim ſunt virtutes, partim vitia carminum. Illique aut probati lege, aut permiſſi vitio, aut vſurpati licentia. Sunt verò vel communes, vel proprij.

COROLLA III.

De carmine Heroico.

POema Epicum, vt sit absolutum, debet esse Imitatio vnica vnius actionis, Heroica, Honesta, Vtilis, Delectabilis. Et hæc imitatio actionis vnius Herois, non ita in omnibus narrari debet, vt fuit, sed vt conueniens, ac decens esset, quod fuisset: debet etiam ornari variis episodiis, fabulis, successibus, intricatis implicationibus, ac nexibus & ambagibus, vt sic suauiter lectores vel auditores suadeat. Vt latè expendit Arist. in Poet. Propter multiplicitatem actionum errauit Lucanus, Silius Italicus, Ouidius, & ex Italis, Ariostus. Propter deformitatem actionis peccauit Claudianus, & Statius, alter enim Raptum Proserpinæ proposuit, alter Thebanorum Fratrum odiū inueteratum, quæ actiones vtpote inhonestæ, non sunt imitabiles.

Habet etiam Heroica Poesis tres præcipuas partes. Prima est Propositio materiæ decantandæ. Propono aliquot exempla 1. sit Virgil.

Arma virumque cano:

Secundum Claudiani.

Inferni Raptoris equos, afflataque curru
Sydera Tenario——

Tertium Lucani.

Bella per Aemathios plusquã ciuilia campos,
Iusq. datum celeri canimus

Quartum Stat.

Fraternas acies, alternaq. regna profanis
Decertata odijs——

Secunda pars est Inuocatio. Satis sit pro exemplo Virgil.

Musa mihi causas memora —

Tertia pars est Narratio. Virg.

Vrbs antiqua fuit, Tyrÿ tenuere coloni.

Et Claudian.

Dux Erebi quondam trucidas exarsit in iras,

Obseruandum in Narratione est ne rerum series historico more decantetur, sed ita interrupta sit, vt sibi occurrat, & sæpiùs venu-

nuſtate quadam obuiam exeat: ſic Virgilius, qui Troiæ euerſionem à ſiculâ tempeſtate auſpicatus Aeneam inducit, hiſtoriam Didoni ab ouo enarrantem. Hæc documēta in libris conficiendis obſervari debent; in brevi tamen poemate non tenemur his legibus, ſed incedendum eſt eâ viâ, quâ poeſim fore amœniorem iudicabitur.

COROLLA IV.

De Elegiacis, carminibus, & Epigrammate.

QVoniam aliò me vocat ſtudium, diù in hoc non licet immorari: Materiam Elegiæ aſſignat Horatius in Arte Poetica hoc modo.

Verſibus impariter iunctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos:
Quis tamen exiguos elegos emiſerit Author,
Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Nos ſub roſâ reliqua involvamus, & Elegias aliquot pro exemplo inculcabimus. Conſulite Ovid.

Epigramma vt ſit rotundum, politum, & argutum multum habet difficultatis, & præ cæteris carminum generibus difficilius reputatur. Conſulite Martialem hàc in re facilè Principem. Obiter tamen admoneo, Epigrammata omni carminum metro pangi poſſe. Videte Florentiſſimum Mendozę Viridarium, qui multos Authores refert idipſum conteſtantes.



LAV-

LAVREA

TERTIA.

Intertexitur varijs Poetarum carminibus.

COROLLA VNICA.

TYPVS

Pro carminibus Heroicis.

Lamentatio de Servatore in Cruce pendente.

HEu quam triste mihi lacrymoso in vertice montis
Obijcitur simulacrum! Eheu! sine imagine duro
Suspensa in ligno est Æquæva Parentis *imago!*
Proh dolor! effuso concrescunt sanguine crines:
Scalet barba: iacent oculi sine lumine: vultus
Conditur in tenebras, totoque in corpore nusquā
Corpus adest: sulcata dolent pia membra flagellis
Pœnarū, oh quantū exhaustū est! à vertice sūmo

Ad postrema pedum vestigia, nulla dolore
Pars vacat, in plagis plaga est, in vulnere vulnus
Itq. dolore dolor: stagnantia flumina venis.
In scopulos rupesq. cadunt: quin ossibus ossa
Dissiliunt, triplici clavorum cuspide quando
Nititur, incumbitq. sibi lacrymabile pondus.
Ergo inter tales morientia lumina pœnas
Extrema iam in morte natant: Cygnea resolvit
Guttura, olorinam dum tollit ad æthera vocem,
Et placidū inclinat letho caput: Exit in vmbras
Spiritus, & ligno pendentia membra reliquit.
O dudum pœnis saturate! Oh dulcis IESV!
Funeris heu! tibi causa fui: tibi sæua paravi
Supplicia insonti! mea fraus, mea culpa, meumq.
Hoc scelus est: non carnifices, sed crimina plectūt
Te mea: sic moriens aliena piacula pendis:
Ipse ego te (quid enim dubitem cōmissa fateri)
Verberibus lacerum, redimitum tempora duris
Sentibus, obieci sæua in discrimina demens:
Ipse tuis humeris immania pondera ligni
Imposui, in mortemq. tuli, clavosque trabales
In palmas, plantasq. dedi; mea cuspidis ictum
Dextera libravit: quidquid crudele tulisti
Author ego: potui tantas ego sumere pœnas
Me miserū! tua ne ista nocens per vulnera servor
Morte tua viuens? Cur non de nubibus in me
Tela trisulca ruūt! quanā mihi terra dehiscat
Sontē animā raptura! quid? O quid! iā moror vltra?
Quiduē? Sed ecce meus rigido de stipite IESVS
Me vocat, & pronos submittit ad oscula vultus:

Ire

Ire iuvat, lateriq. Dei succedere, tutus
Inveniam vt latebras: noctesq. diesq. morari
Hic libet, & lacrymis culpas abolere nefandas.

Incertus Author.

MORTIS RECORDATIO,

AD ILLVD.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

INflatos quicunq. animos geris, atque sepulchri
Immemor, ætatem per inania ducis, & æuum
Ceu nunquam moriturus agis, depone parumper
Depone humanæ Lethæa obliuia sortis.
Nescis ipse tui generis primordia! nescis
Fluxerit vnde tibi præclaræ stirpis origo?
Pulveris exigui partem, quam rite Sacerdos
Submisso aspersit capiti: precor, incipe, cernis
Hæc monumeta? tuos hoc pulvere corde Parétes
Hoc in pulvere avos, & avos numerabis avorũ.
I nunc, & titulos generisq. insignia iacta,
Abiecto cum sis genitus de pulvere pulvis;
Quid mirũ in tenuem redeas si pulveris vmbrã?
Nulla mora est, qui nunc annis, viridiq. iouenta
Fervidus exultas, & primo flore superbis:
Pulveris in tenues flatus resolutus obibis.

Nec mihi crede tibi non longe exempla petentur:
Ante oculos, interq. manus sunt omnia, mentem
Ad tumulos paulũ, & veterũ monumenta virorũ
Converte: illa, vides, moles operosa sepulchri ?
Egregium condit Mavortis fulmen Achillem:
Parte alià bello insignis iacet Hector ; & ille
Cuius quondam animis, armisq. potentibus, vnus
Non satis orbis erat: iacet hinc Mavortia proles,
Romani Imperij decora alta, & gloria Romæ:
Magnanimi Heroes: celsa hinc ab origine Reges
Olim diuitijs, belloq. & pace decori:
Inde pios vates, & Phœbo digna loqutos,
Eloquij artifices, & Palladis arte potentes
Terra tegit, nec non Mitrasq. Rubrosq. Galeros,
Pontificumq. Apices, celsasq. in fronte Tiaras:
An iuvat effossis præclara hæc cuncta sepulchris
Aspicere? oh vbi sũt? Nusquã: vix parua relicti
Pulveris vmbra manet: Quo Martia pectora? quoue
Ingentes animi, Quo Regum Nomina? opesq.
Cecropiæq. artes, & sacri culmina honoris?
Excessere: Rogus vestigia nulla reliquit:
In cineres abiere leves: Proh! fortia lethi
Imperia! oh qualem exercet Libitina furorem!
Pulvis es oh! cœli quicumq. hac vesceris aurà,
Et pulvis rursum vilis post fata manebis:
Hæc recole, hæc animo noctesq. diesq. memento
Sedulus, hæc olim nimium meminisse iuvabit.

Incertus Author.

CHARTA ARGONAVTICA

Mundi Pelagus Nauigantibus.

COeleſtem vitæ metuenda per æquora portum
Dũ quæris, primũ vaſto hoc ſub gurgite caſus
Qui lateant, quantiſq; premant vada ſalsa procellis
Aſpice: quot ſcopuli mortem, quæ ſaxa minantur
Exitium, infeſtent quæ monſtra horrenda profundũ;
Incautum ne te in ſyrtes, ſcopuloſque latentes
Vnda ferat, dux charta datur tibi nautica, quà te
Edoceat vada cæca, viaſque ad ſidera monſtret.
Ergo *ſi placidi puro ſtent marmore fluctus*
Si *Boreas ponat, Zephyruſque adſpiret, Olympus*
Si *faueat, pacem pelagi, fluctuſque quietos*
Heu timeas! cælo & pelago ne fide ſereno.
Tuta fides nuſquam eſt: medijs Palinurus in vndis
Conditur heu! nimiũ pelago, & fallacibus auſtris
Confiſus; facies magis eſt ſuſpecta profundi,
Cum magis horrendum viſa eſt poſuiſſe furorem.
Ah! quoties quoties pleno ſecat æquora velo,
Et ſibi nil metuens placidis demergitur vndis
Nauita, ſecurus nimium cælique, mariſque.
Hos vbi iam tutos ſcopulos euaſeris, aures
Obſtrue, Sirenum cantus, & dulcia damna
Vt fugias; quam ah! quantum damnoſa voluptas!
Deliciæque nocent: in ſaxa latentia puppes
Sirenum in morem torquent, & turbine verſant.

Tuque

Tuq; modò ad malum religatus, & arbore Christi
Detentus, mortisque memor, ne vocibus aures,
Blanditijs neu trade animum, ne blanda carinam
Vox teneat, sistantuè audito carmine remi.
Post hæc infames scopulos, infame sepulchrum
Cõmune exitium nautis, scyllam, atque Charybdim,
Aspice, nonnè vides variarum monstra ferarum.
Scilicet hic homines proprios deponere vultus,
Hincq; truces iubet ire feras Venus improba. Circe
Hæc illa est infecta animis, inimica pudori:
Hic tibi non vires, assueta aut dextera bello
Proderit: haud vllis pugnandũ est comminus armis;
Sed rapido in cursu; velisque fugacibus omnis
Spes erit: est etiam insignis dare terga triumphus.
Heu fuge crudeles scopulos: si tarda carina est
Proyce te in fluctus: inter Delphinas Arion
Alter eris: quondam se Martinianus in vndas
Præcipitem dedit, & vectus Delphine periclum
Vndarum euasit, fugiens nocitura pudori
Saxa, cupidineas extinxit in æquore flammas:
Vsque adeo superanda omnis fortuna volando est:
Præterea medio stant saxa horrentia ponto
Naufragio opportuna, rates hic æstus in altum
Erigit, inque vicem subducto ad tartara fluctu
Deprimit, alliditque vadis monumenta superbæ
Fortunæ, hæc alterna viros tollitque sub auras,
Deturbatque iterum lapsu grauiore ruentes.
Hos inter scopulos caueas deflectere cursum
In læuũ, dextrumque latus; scopulum inter vtrũq;
Tuta via est: nec tolle animos elate secundis,

Nec

Nec nimium aduersis frangant tibi pectora casus.
Hinc scopulos agnosce alios, hic, aspice, gurges,
Hæc nunquam exitio hominum satianda vorago
Sorbet in abruptum puppes: Hæc sæua cupido est.
Hic quos sacra fames, & amor sacer vrget habendi,
Gurgite demersi fundo voluntur in imò:
Ergo diuitijs grauidam exonerare carinam
Ne dubita: in fluctus argenti pondus & auri
Et gemmas & opes, onera infelicia merge.
Stagna vides pigramq; vndam, immotæq; paludis
Segnitiem? non hinc fluctus, non inde refluxus
Æstus agit, silet vnda vadis; agit otia pontus:
Hic te si puppis placida statione quiescat,
Naufragium manet: ergo operi assiduoque labori
Inuigila: rumpe ob somnos, rumpe otia, nec te
Cessantem, nullisque intentum pectora curis
Otia decipiant, medioque sub æquore mergant.
Siqua tibi occurat visu lætissima in vndis
Insula, ne captus magno telluris amore
Egredere, aut artus optato in littore pone.
Hi scopuli sunt: illa alto quæ fulget olympo
Stella, viamq; aperit Maria est; maria alta serenat,
Componitque fretum, frænatque in carcere ventos:
Hanc Deus ante alios astrorum diligit ignes,
Assiduo hanc oculis, animoque & mente notabis,
Illa tibi facilemque viam, ventosque ferentes
In cælum, & cursus dabit obseruare secundos.

P. Emmanuel Fagundez Soc. Iesu.

METHODVS

Pro Elegiacis carminibus.

COLLOQVIVM

Ad Christum Crucifixum

Alloquitur captiuus.

OH mihi sola super solatia Christe laborum!
Oh mihi sola meis anchora naufragijs!
Dum premor, afflictusque traho per tristia vitam,
Fortunæ factus vile meæ spolium.
Da circum precor oh! sacro dare brachia ligno;
Inque tuis requiem quærere vulneribus.
Vt fugit ad latebras, Aquilà veniente, columba,
Et tegitur ruptis abdita pumicibus:
Vtque sibi metuens morsus fugit agna luporum,
Desertis quærens tecta cacuminibus:
Nauita post fluctus, & sæuas æquoris iras,
Vt cupit optatis sistere littoribus:
Sic ego cuncta timens solum te Christe requiro,
Vnus dulce dabis tu mihi perfugium.
Te desiderijs mens icta fidelibus ardet,
Te castis ambit tacta cupidinibus.
Ah liceat tutas cupido reperire latebras

Fecit

Fecit vbi miseris diuus amor thalamum.
Hoc in secessu, post tot mala, certa salutis
Spes mihi plagarum clausa foraminibus.
Hic tecum fari liceat mihi dulcis IESVS;
Et mentem sanctis pascere colloquijs.
Ipse doles, doleo, pateris, patior quoque, pœnas,
Alter & alter habet, sed tibi dissimiles.
In cruce tu pondus nimium lacrymabile pendes,
Nec versare tibi membra dat hæc tabula.
Me spatiosa satis custodia carceris ambit,
Vertere quæ latis me sinit in spatijs.
Dum nimiam placare sitim cupis, arida potant
Ora propinatam fellis amaritiem.
At dulcis præbent mihi pocula plena liquoris,
Et bene conditas mensa refert epulas.
Prodigus ah nimium tu das mihi sanguinis imbres!
Eheu! quam largis vena fluit scatebris!
Ast ego quæ tanto pretio tibi digna rependo!
Heu mea vix lacrymas soluit amarities!
Vndique te cingunt odijs immanibus hostes:
Heu Regis lateri triste satellitium!
Solus ego solos habito sine teste recessus,
Hic hominum melius tutus ab insidijs.
Tu morti vicinus ades, vitamque profundis,
Teque manent certi funeris exequiæ:
Ast ego viuo, fruorque poli vitalibus auris;
Nec datur ad meritum, mors mihi supplicium:
Ipse volens tormenta subis, paterisque libenter,
Tot lætus pœnas hostis ad arbitrium.
Non ego lætus in has descendi carceris vmbras:

Oh qualem tulit hæc sors mihi tristitiam!
Tu moriens nondum pœnis expletus, & inter
Tam diras pœnas dicis adhuc sitio.
Ipse meas odi satiatus carcere pœnas,
Ah nimium modici vulneris impatiens!
Insontem sequitur te vis hæc sæua: tuorum
Crudelem moriens pulsus ob inuidiam.
Ipse nocens crucior: leuis ah! me pœna fatigat,
Addere qui volui crimina criminibus.
Denique tu moriens aliena piacula soluis,
Alteriusque luis morte latrocinium.
Ipse tamen pendo propter mea crimina pœnas,
Crimina non vllo digna patrocinio.
Heu! quam dissimiles patimur! sed me tamen ipsum
Quod tecum patior mollius & cruciat.
Scilicet est aliquid socios habuisse dolorum,
Nec solum pœnis viuere vindicibus.
Te simul intueor socium, posuisse videntur
Iam mutata suam vincula duritiem.
Hic sine luce locus phœbo meliore coruscat,
Dum mea figo tuis lumina luminibus.
Quin potius mihi tu pœnas in dulcia vertis
Gaudia, pœnarum dulce sodalitium.
Ergo quid incusem, pœnasque grauesque labores!
Ferre libet duri quidquid adhuc superest.
Namque meis fueris dum pœnis Christe sodalis.
Non alias cupio iam mihi delicias.

Ignotus Author.

Pro

RRO EPIGRAMMATIBVS.

Ad Eminentissimum Principem

DD. IACOBVM CONRADVM
S.R.E. Cardinalem Ferrariensem

Triplex Astrum, & totidem corda pro stemmate facientem.


ΔΙΣΤΙΧΟΝ.

Astra & Corda tenes: *dabo* cor: *Redde* Astra, *Beatus*
Sic ego: Cordatus *sic* Dator *ipse manes.*

Cur Luna inter nocturnas umbras solum resplendeat.

ΔΙΣΤΙΧΟΝ.

Mutuat occultos Phœbi *vaga Luna nitores:*
Iure nisi in tenebris lux aliena micat.



AD

Ad Illustrissimum Dominum

LAVRENTIVM LOMELINVM


S. D. N. Alexandri Papæ Septimi
Comissarium Generalem.

ANAGRAMMA.

Dominus Laurentius Lomelinus
Tun'eris Mundo alius Sol Lumine.

EXAΣTIXON.

Non quia sis maior Laurentius omine nostro,
Ante pedes humilis porrigit Author opus:
Nam tua fama Orbem, tua fama æquabit olympũ,
Nec locus vlterius, quem petat, vllus erit.
Hoc votũ est, Tranquilla Orbi Pax surget, amictus
Si Sol *purpureas* Lumine *fundat opes.*



EPITA-

EPITAPHIVM.

FERDINANDI HAVALI Piſcariæ Principis.

QVis iacet hic gelido ſub marmore? Maximus ille
Piſcator, belli gloria, Pacis honor.
Nunquid & hic piſces cepit? Non: ergo quid? Vrbes,
Magnanimos Reges, oppida, caſtra, duces.
Dic quibus hæc cepit Piſcator *retibus? alto*
Conſilio, intrepido corde, alacrique manu.
Qui tātū rapuere Ducē? duo Numina: Mars, Mors:
Vt raperent quidnam compulit? Inuidia.
Cui nocuere? ſibi: nam viuit fama ſuperſtes,
Quæ Martem, & Mortem vincit, & Inuidiam.



EPITAPHIVM.

DOC. P. FRANCISCI SVARII Societatis Iesu.

HOspes in hoc tumulo noua ſunt miracula: certo
Nam ſi iudicio ſæcula ſtare velint,
Hic eſt Europæ,atque Aſiæ, mundique Magiſter:
Hic eſt occiduæ gloria ſumma togæ.
Hic eſt dum Triados dictat ſublima, Thomas;
Intima dum ſophiæ pandit, Ariſtoteles.
Hæreſeos dum monſtra potens ferit, Auguſtinus:
Scripturà Hieronymus: Eloquio Ambroſius.
Dum fidei tractat cauſas, Athanaſius hic eſt:
Dum pia, Bernardus: dum ſacra, Gregorius.
Hic tandem eſt mundo par ille Suarius, etſi
Iudicium ipſe ſuum promeret, hic nihil eſt.



ELI-

ELISABETH PORTVGALLIÆ REGINA ægros quærit ſanandos.

Collimbria morbo graſſante afflicta auxilium precatur.

EXAΣTIXON.

SI tibi Cura fuit regeret dum ſpiritus artus
Eliſabeth, ægris ferre ſalutis opem:
Nunc afflicta tuum Collimbria terra precatur
Auxilium, quoniam ſerpit iniqua lues.
Cura igitur fuerat viuis tellure repoſtos
Si ſequitur, tu artis nunc memor eſto tuæ.

Monte, *vulgo Virginis Spei* Templum erigitur Eliſabethæ.

EXAΣTIXON.

MOnte Spei Princeps, Regni Spes, Tēpla dicauit:
Egregium ſuperat vel Salomonis opus.
Hunc tulit atra dies, & funere merſit acerbò,
Interrupta in ſpe Templa relicta manent:
Templa relicta manent, ſinè ſpe tamen ipſa vocarē,
Ni Mons ille ſpei Virginis ante foret.

EPI-


EPITAPHIVM.

Diua Irena Tago in flumine deijcitur vnda tumulum format.

AVriferis Irena Tagi deijcitur vndis:
Mira fides! tumulum præbuit vnda sinu.
Victa licet gladio, crystallo inclusa triumphat:
Crystalla in palmas sparsa cruore rubent.
Candida materies potuit consurgere in vrnam:
Quandoquidem è vitâ purior illa fuit:
Purior illa fuit, rubuit tamen ipsa cruore:
Hinc pudor, inde rubor iure sepulchra notant.
Vtque virère queat viridis stat palma sepulchro:
Sanguine palma rubet, parque pudore nitet.
Iure igitur liquidum crystalla dedere sepulchrum;
Nam candore rubent, alba rubore nitent.



LVCERNA DIOGENIS



SIVE

Hominis, & Humani Corporis partium disquisitio.

VBI

Suis quæque nominibus, dicendi formulis, Paræmijsque inde ortis subnotantur.



PROLOGIVM.



INSANVS planè labor, & qui volentem eventum ægrè spondeat, attamen ne se frustra habeāt conatus mei, hanc potissimum adhibere placuit Hominis & Humani corporis partium Disquisitionem, vt quidquid de illo inciderit inter loquendum, id latinæ consuetudini tradere in promptu sit.

fit. Iniquum enim existimo inter homines esse, & hominis non habere satis vtramque nomenclaturam.

CAPVT I.

De Homine.

H*Omo, hominis*. Significat hominem.
Homuncio, onis. Homulus, li. Homululus, luli. Homunculus, culi. Diminutivum hominis.
Pumilio, lionis. vel Pumilo, lonis. Pumilius, lij. Pumilus, li. Nanus, ni. Homo nanus.
Homo valentissimo corpore. Homo statura procerus.
Somnium hominis. Salium animæ, vel hominis. Quadrans, Catinula, frustum, Compendium, & breviarium, vel sextans hominis. vel Cnathus, thi: vel Tetragnathius, thij. Idest homo, palmo non altior uno.
Homo portentosæ magnitudinis, ac ad giganteam staturam proximè accedens. Homo gigas.
Homo commodâ staturâ. Homo proportionatus.
Homo membris corporis æqualiter ad regulam congruentibus: vel homo aptâ membrorum compositione. Homo in omnibus proportionatus.

Ho-

Homo multis nominibus notus. Homo ſuis factis, ac rebus geſtis notus.

Homo politiore humanitate, & communibus literis eruditus. Homo Humaniſta.

Homo Muſis manſuetioribus deditus. Homo literis humanis deditus.

Homo mediocriter literatus. Homo parum doctus.

Homo ſenſu, & ſtirpe præcipuus. Homo dives, & Nobilis.

Homo laboribus, & adverſis ſuis clarus. Homo per multos labores exercitus.

Homo mirificè abſtinens. Homo moderatus.

Homo vitæ vrbanioris. Homo iucundus.

Homo omnium officiorum obſervantiſſimus. Homo politicus.

Homo alieni abſtinentiſſimus. Homo nulli alieno bono invidus.

Homo patientiâ paupertatis ornatus. Homo paupertatis patiens.

Homo multis experimentis eruditus. Homo experimentatus.

Homo innoxiæ popularitatis. Homo ſine dente, lepidus.

Homo boneſtis artibus imbutus, inſtructus, excultus. Homo bene moratus.

Homo arcanus. Homo ſecretarius.

Homo venuſtus. Homo ſalſus.

Homo *navus, & induſtrius*. Homo aptus ad negocia.

Ho*mo domi ſuæ cum primis locuples*. Homo ſatis dives.

Ho*mo nemini natus*. Homo ſibi ſolus.

Ho*mo politus; concinnuſque ad perſuadendum*. Homo magnæ efficaciæ.

Ho*mo mentis bene ſanæ*. Homo Catonius, ſive prudens.

Ho*mo animæ prodigus*. Homo vitæ contemptor.

Ho*mo nullis mendoſus vitijs*. Homo pius, ac devotus.

Ho*mo politioris elegantiæ*. Homo expolitus.

Ho*mo pecunioſus, vel bene numatus*. Homo multarum pecuniarum.

Ho*mo operum vacuus*. Homo ocioſus.

Ho*mo ſciens citharæ*. Homo Citharædus.

Ho*mo à literarum ſtudijs amuſus, vel averſus*. Homo ſtudij incurioſus.

Ho*mo male lautus*. Homo (vt aiunt) elixatus.

Ho*mo effuſè petulans*. Homo impudens.

Ho*mo Sacer*. Homo cõmuni voce populi morti damnatus.

Ho*mo inteſtabilis*. Homo qui in iudicio teſtis eſſe non poteſt.

Ho*mo de quercu, vel de ſaxo natus*. Homo inexorabilis.

Ho*mo fortuna conſtitutus ad amplexandum ocium*. Homo deditus ad quietem.

Ho*mo fortunâ egens, vel homo afflictæ, perditæque fortunæ*. Homo pauperrimus.

Ho*mo ijs quibus cũ vivit digniſſimus*. Homo ſocijs ſimilis.

Ho*mo*

Homo vnus è multis: vel homo è trivio: vel è fæce plebis: vel homo è triviali popularium fæce: ſeu infimâ fortunâ homo. Homo vilis.

Homo proiectæ audaciæ. Homo nimium audax.

Homo totus ex faſtu, & arrogantiâ, & iniquiſſimo ſuperbiæ genere conſlatus. Homo ſuperbus.

Homo nimium retinens ſui iuris. Homo nimium tenax ſui iudicij.

Homo ignotâ matre inhoneſtus. Homo cuius mater ignoratur.

Homo voluptarius, vel voluptati obſequens. Homo deditus recreationibus.

Homo voce abſonus. Homo abſonæ vocis.

Homo vitijs omnibus, atque omni dedecore infamis, vel flagitijs omnibus contaminatus. Homo vitioſus.

Homo ſine acumine. Homo ſine ullo ingenio.

Homo tam infirmus, vt non inveniat miſeriæ ſuæ comparem. Homo miſer.

Homo oberatus. Homo ære alieno obſtrictus, vel debitor.

Homo ſiccus. Homo ieiunus.

Homo crudus. Homo ſeverus, vel infirmus ſtomacho.

Homo multâ vappâ prorutus. Homo vappâ ebrius.

Homo ſuſpendioſus, vel reſtio, onis. Homo laqueo ſuſpenſus.

Homo volubilis. Homo incoſtans.

Homo comitialis. Homo morbo obnoxius, qui

cum totius corporis convulſione principales cerebri operationes tollit. Vocatur alio nomine ſacer, morbus maior, Herculeus, & Comitialis, eo quod comitia interrumperentur quoties aliquis eo morbo concidiſſet. Item dicitur de homine litigioſo.

Homo calculoſus. Homo morbo laborans, qui à lapillis quibuſdam in renibus, aut veſicâ generatus meatum vrinæ prohibet, aſperrimumque gignit cruciatum.

Homo ſuſpirioſus. Homo aſtmaticus: ideſt qui ſpirandi difficultatem patitur.

Aleator, oris. Homo qui alea ludit.

Ardelio, onis. Homo inquietus.

Æruſcator, oris. Homo qui malis artibus pecuniam corradit.

Aſſentator, oris: vel Palpator, oris: vel Palpo, onis. Homo adulator.

Aretalogus, logi. Homo loquax, vel in poeticis fictionibus mendax.

Balatro, onis. Homo abs re nimium loquax:

Blatero, onis. Lingulaca, cæ. Linguax, acis: vel Locutuleus, lei. Homo immoderatæ loquacitatis, verboſus, nimius in dicendo.

Barathrum, gurges, & vorago patrimoni, vel gluto, onis; gluo, onis: vel decoctor, oris. Nepos, nepotis. Lurco, onis. Mando, onis. Manduco, onis. Manducus, ci. Helluo,onis. *Ganeo, onis. Tempeſtas, atis. Aſotus, ti: vel Popino, onis. Catillo, onis. Catillio, onis. Liguritor, oris*. Homo guloſus

losus, vel immoderatæ voracitatis.

Depeculator, oris. Dicitur de latrone publicè furente.

Directarius, rij. Fur nocturnus.

Emissarius, rij. Homo alienæ vitæ explorator.

Delator, oris. *Quadruplator, oris*. Homo accusator.

Sycophanta, phantæ. *Abophanta, phantæ*. Dicti sunt accusatores, qui ex cupiditate alijs facessendi negotij nomen factum aiunt. Nam cum Athenis vetitum esset efferre ficus, qui eos deferebant, accusabantque, Sycophantæ sunt apellati. vt refert Plutarchus in Solone. Alij tradunt, cùm attici iuvenes in hortos alienos erumperent, ficosque sublegerent, pænam capitis in eos, qui id facerent, fuisse constitutam: cum pœnam qui persequerentur ob parvula detrimenta, Sycophantas appellatos. Denique dicti videntur Sycophantæ, hoc est à ficuum delatione.

Lavernio, onis. Significat Latronem.

Grassator, oris. Latro, qui vias obsidens, obvios spoliat.

Effractor, oris. Latro qui fractis portis in ædes erumpit.

Vecticularius, larij. Latro qui ad furandum vectes abrumpit.

Coricæus, cæi. Dicitur explorator curiosus.

Manticularius, larij: *vel Saccularius*: *vel Sector Zonarius*: *vel Crumeniseca*. Dicitur fur, qui

inferens se confertæ multitudini marsupia evacuat: dictum à manticulis, in quibus tenuiores pecuniam recondebant.

Ariolus, oli: vel Divinus, ni. Homo divinus.

Morio, onis. Homo stultus.

Nugator, oris. Gerro, onis. Nugigerulus, li. Nugax, acis. Homo qui meras nugas loquitur.

Tenedio, onis. Nebulo, onis. Tenebrio, onis. Homo vanus, & nullius pretij.

Parasitus, ti: vel Gnatho, onis. Mensarum assecla. Homo qui nugis, ac facetijs mensas sequitur.

Susurro, onis. Significat Detractorem.

Veterator, oris. Impostor, oris: vel homo veterum astutiâ extrictus. Homo in astutijs, & fraudibus exercitatus.

Homo literatus. *Stigmatias, tiæ: vel Sicatrice stigmosus: vel inscriptus: vel notis compictus: vel homo stigmaticus.* Homo cui nota aliqua ita inusta est, vt semper appareat, cuiusmodi habent fures in tergore, Vg. L.

Homo Themista sapientior: vel Themi. Homo qui præter se nullum putat sapientem: vel Homo sapiens.

Homo somno mollior: vel oleo tranquillior. Homo cerâ mollior.

Homo fabula. Homo qui per os omnium tanquam dedecus vsurpatur.

Epicuri de grege porcus: vel homulus ex argilla & luto factus. Homo datus abdomini suo: vel qui de cute curandâ solum agit.

Homo

Homo Diti, & Saturno mactatus. Homo morti deſtinatus.

Homo in peculio Proſerpinæ, & Orci familiâ iam numeratus. Homo iam ſemimortuus.

Homo Æacidinis minis animiſque expletus. Homo nimis perverſus.

Homo ſenis manibus genere gyrioneo, quem ſi Argus ſervet, qui oculeus totus fuit, is nunquam ſervet. Dicitur de homine rapaci, cuius manus ad furandum ſemper agiles ſunt.

Homo aceto Italo perfuſus. Homo mordax.

Homo aceto, & fele madidus. Homo iratus.

Homo diverſarum partium. Homo ad diverſa intentus.

Homo nauci: vel nihili homo: vel homo diobolaris: vel homo vappâ: vel trioboli homo, homo ſemiſſis: vel homo treſſis, vel fruges conſummere natus. Homo quem cum appelles neminẽ nominabis.

Homo bulla, vel homo fictilis. Homo nihil illo inconſtantior.

Homo minimi pretij: vel imi ſubſellij: vel homo moduli bipedalis: vel homo cibarius. Homo animo vilis.

Homo cerritus: vel elleboroſus, ellebori indigens Homo demens.

Homo ſordidus: vel camini ſector. Homo qui moleſtijs negotijs ſemper viſus premi.

Homo quartâ lunâ natus. Homo infelix.

Aius Locutius. Homo verborum liberalis.

Ter-

Terræ filius : vel Fraterculus gigantum. Homo ſupra menſuram procerus.

Homo fungino genere. Homo futilis.

Caliga Maximini; Clematis Ægyptia. Homo grãdis: vel inſulus & immodicæ proceritatis.

Puſilus quantum Molon. Homo vilis natus ad onus.

Cum ſis nanus cede. Ad ea quæ tua non intereſt ne interijciaris.

Homo trium literarum. Homo qui ſe nobilem iactat, cum non ſit : vel fur.

Homo *luteus*. Homo vitijs conſpurcatus.

Homo duro robore natus : vel agreſti efferoque ingenio. Homo perverſæ mentis.

Homo fibra cornea. Homo efferæ conditionis.

Homo novus. Homo ſuis rebus geſtis illuſtris.

Tanagreus cœtus. Homo præ craſſitudine immobilis.

Homo Thales. Thales, letis, vel Talis: vel homo multorum librorum. Homo qui cum ſit ignorans ſapiens videri cupit.

Hom*ini Lydio negocium erat*. Indomum adducit multoties homo cauſam doloris.

Viri infortunati procul amici : vel vitis amicorum eſt annona bonis vbique deeſt. Dum vidimus bona, amicos neſcimus.

Virum improbum vel mus mordeat. Improbus nullibi ſecurus.

Vir videbatur navis ſcopulo ſupplicans. Omnia inſcientibus facilia videntur.

Vir

Vir ne uno dignus. Homo quem vno aſſe non emes.

Vnus vir, nullus vir. Plures oculi plura circumſpiciunt,

Viri iureiurando, pueri talis fallendi. Rem agis cum Sapiente.

Homo homini lupus. Semel mendax ſemper præſumitur mendax.

Homo homini Deus: vel Deus ex improviſo apparens: vel Deus è machina. Mecum egit tanquam Dei cuſtos.

Homo duplex. Homo aliud ore, aliud in corde.

Nulla candidorum virorum vtilitas, Homo effeminatus ad ardua incapax.

Viro eſuriente neceſſe eſt furari. Pane quod veſcor dolore afficitur.

Magiſtratus virum indicat. In bello cognoſcitur miles.

In diſcrimine apparet qui vir. Hic vir, hic eſt vir.

Subſeſſor alieni matrimonij. Homo Adulter.

Convertere ſe in hominem. Homo benignus exhiberi.

Hominem ex homine exuere. Homo crudelitate indutus.

Nil minus hominis eſt. Hoc eſt vltra humanam conditionem.

Homo homini quid præſtat? In ſolo Deo ſpes debet collocari.

Ita comparata eſt hominum vita, aliena melius vt videant, & iudicent, quam ſua, quod eo fit, quia

in

in re nostra, aut gaudio sumus præpediti nimio, aut ægritudine. Introspicimus festucam in oculo alieno, & trabem in nostro non consyderamus.

Homo Thersitâ fœdior. Homo deformis.

Nemo hominum in animo instituit, aut parat, quod sit charius; quam ipse est sibi. Post nos, vos.

Quicquam qui nisi, quod ipse fecerit, nihil rectum putat. Nullus illo irrationabilior.

Sic vita est hominum quasi ludas cum tesseris. Ludit in humanis divina potentia rebus.

Vt homo est, ita morem geras. Agas mecum, qualis cum tu ipse sis.

Homo existimatione damnatus. Homo qui de se malè audit: vel Homo qui scelesti, & facinorosi nomine malè audit.

Semivir, viri. Homo Eunuchus, sive mollis, aut effeminatus.

CAPVT II.

De quatuor Hominis Aetatibus.

Infans.

I*Nfantia, tiæ.* Significat primam Hominis ætatem vsque ad annum septimum, vel defectum eloquentiæ.

Infantia incredibilis. Significat adultam infantiam.

In-

Infans, tis: vel Infantulus, tuli: vel Pupus, pi; aut Pupulus, li. Infans qui non dum loquitur: vel homo infacundus.

Ab infante. A crepundijs, vel abincunabulis. A prima infantia.

Infans incertus. Infans cuius pater ignoratur.

Infans lactens. Infans qui adhuc lactatur.

Infans collactaneus. Infans cum alio eandem habens nutricem.

Infans expositus: vel expositivus: vel proiectivus. Infans qui ad templorum fores exponitur.

Infantes proijcere, vel exponere. Infantes ad Templorum fores exponere.

Infans subditus: vel subdititius: vel subditivus: vel suppositus: vel supposititius. Infans qui pro alio supponitur.

Infans posthumus. Infans post patris mortem natus.

Cæso, onis. Infans qui matris visceraaabrupit.

Proculus, culi. Infans natus absente patre.

Lucius, cij. Infans natus oriente Sole.

Cordus, di. Infans serotina fætura natus.

Manius, nij. Infans ante lucem natus.

Ancus, anci. Infans natus incurvo cubito.

Agrippa, pæ. Infans natus non caputprimum sed pedes exierendo.

Infans abortivus: vel abortus, tus, tui: vel exterricinius, nij. Significat abortum.

Mama, mæ. Verbum illud truncum quo infans matrem appellitat,

Ma-

Mamo, as. Vocare matrem.

Tato, as. Vocare patrem.

Abba, bæ. (*& verbum fit*) *Abbo, as*. Significat verbum quod infantes primum proferunt, & patres libenter audiunt.

Pupa, pæ. Pupula, læ. Infantula; vel Puella parvula, & tenella.

Infans historia. Historia parum continens doctrinæ.

Infans pudor. Pudor hominum frænat linguam.

Infanti vbera ammovere; vel infantem vberibus alere. Lactare infantem.

Balbutio, balbutis. Illud infantium confusè, & imperfectè hæsitare.

Infantem distortis cruribus Varum, & pravis fultũ male talis Scaurum balbutire. Amant parentes infantium suorum defectus.

Vago, vagis. Infantis lacrymare.

Vagitus, tus, tui. Infantis ploratus.

Vagientem pupum mamiolis demulcere. Infantem obdormire.

Si Deus mihi largiatur, vt ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam. O mihi infantis annos referat si Deus!

Infantes sumus, & senes videmur. Vix nascimur iam senescimus: vel Tempora prætererunt, tacitisque senescimus annis.

Herculis cothurnos infanti aptare. A præposito rem aliquam agere.

Puer.

P*Veritia, tiæ.* Ætas puerilis à ſeptimo vſque ad duodecimum annum.

Extrema pueritia. Vltimi anni ætatis puerilis.

Puer, eri. Puerus, eri. Puerulus, ruli: vel Puellus, li. Significat Puerum.

A puero, à parvulo: vel à parvis: vel à pueritia. A prima pueritiæ ætate.

Puer Regius. Puer à cella regia.

Ephebus, bi. Puer qui quatuordecimum annũ ſuperavit.

Ex Ephebis, vel ex pueris excedere. Superare quatuordecimum annum.

Puerilem ætatem bonis artibus informare. Edocere pueros.

Aliquem à pueritia obſervare. Amare aliquem à pueritia.

Puer acri ingenij. Puer ſatis ingenioſus.

Incredibiliter repueraſcere: vel ad pueriles nugas, & deliramenta redire. Puerorum mores induere.

Puerorum remiſſiones ſanctitate quâdam, ac verecundiâ temperare. Puerorum nugas exemplari vitâ frænare.

Probitate, ac modeſtiâ pueros aſſueſcere. Inſtruere pueros bonis moribus.

Alicui pueriliter blandiri. Aliquem tãquã puerum tractare.

Puer

Puer iam ſcit voces reddere. Puer iam verba profert.

Puer iam certo pede ſignat humum: vel iam rectis inſiſtit greſſibus. Puer iam incedit.

Puer ſitus, vel optimi vultus: vel egregiâ formâ: aut Puer vultu adeo modeſto, & venuſto, vt nihil ſupra: vel formâ præter cæteros liberali: vel puer exornatus. Puer conſpicuus.

Inania pene puerorum delectamenta, captare plauſus. Puerorum eſt propter honores pati.

Neſcire quid antequam natus ſis acciderit, eſt ſemper eſſe puerum. Puerorum eſt hiſtorias ignorare.

Puero gladium aptare. Ne comittas provinciam cui ſe ipſum neſcit temperare.

Vel puero perſpicuum. Hoc eſt ſatis publicum.

Puer glaciem. Pati cæſuram propter pulchritudinem.

Pueris puer, conſilio ſenex. Omnibus accommodari.

Pueros odit præcoces ſapientia. Puer ſapiens diu non vivit.

Puerorum ab ulnis barbam vellere. Aquam è pumice quærere.

Magis glabrio, quam puer Lydius, vel familiæ Glabrionum. Ne pilum quidem in vertice habet.

Hectorem ſpectabamus, Aſtyanactem videmus. Parturiunt montes naſcetur ridiculus mus.

Primum Ægina pueros optimos alit. Principia horum puerorum alium indicabant finem.

Æſta-

Æstate pueri si valent, satis discunt. Pueris conceditur feriali tempore studium interrumpere.

Adolescentia, sive Iuventus.

A*Dolescentia, tiæ. Iuventus, tutis: vel iuventa, tæ: vel Iuventas, tæ*. Ætas iuvenilis, idest, à duodecimo & ultra.

A primâ adolescentiâ. vel ab ineunte adolescentia: vel â prima iuventæ face. Ab adolescentis ætate.

Adolescens lectæ indolis. Iuvenis bonæ indolis.

Adolescens pudicè educatus. Iuvenis benemoratus.

Adolescens primarius. Iuvenis stirpe nobilis.

Adolescens prognatus summo genere, & summis divitijs. Iuvenis divitiis & stirpe clarus.

Adolescens antiquis, emendatis, & castigatis: vel probatis, spectatis, intaminatis moribus. Iuvenis bonis moribus instructus.

Adolescens comâ nitidus, & capsula totus. Iuvenis totus depictus.

Lubricum adolescentiæ declinare. Iuvenum nugas & deliramenta exuere:

Alicuius adolescentiam exhortationibus fovere. Consulere adolescentem.

Adolescenturio, ris: vel quasi reddita iuventute revirescere. In ætatem Iuvenilem iterum redire.

Adolescentior, aris: vel iuvenor, aris. Temerè, & inconsideratè, & iuvenū more aliquid dicere.

Adolescens quammaximè in spe situs sit, tam facilimè boni patris pacem in leges conficiet suas. Iuvenis quem pater consulit per libertatem præcipitatur.

Accipienda, & mussitanda adolescentia in iniuria est. Iuvenum iniuriæ prætermittendæ sunt.

Sapientia non capit in adolescentia. Nulla iuvenum prudentia.

In adolescentia tanquam in herbis studium gloriæ, & cupiditas vincendi significat, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges industria sint futuræ. Ab vngue cognoscitur leo.

Adolescentiæ datur aliquis ludus consensu omnium. Aliquid concedendum, levandi animi gratia, iuventuti.

Homo sumptuosæ adolescentiæ. Nimis profusè dispendit.

Iuvenum facta, virorum consilia. Iuvinibus tàm proprium est robur, quam senibus consilium.

Gallulare, gallulascere: vel hirquitallire. Hoc est, Pubescere.

Senectus.

S*Enectus, tutis*. *Senecta, ctæ: vel extrema ætas*. *Senium, nij*. Significat senectutem.

Se-

Senex, enis: vel ſenex ſenicis, (ſed olim) vel ſenecio, onis. Senex dementatus.
Senex delirus. Senex nonagenarius.
Senex recoctus. Senex bis iterumque ſenex.
Senex decrepitus, vel capularis, vel decus capulare, vel defloccatus, vel Acheronticus: vel depontanus, tani: vel Selicernium, nij: vel Homo ſenio: ſenectute confectus: vel ætate provectus: vel ætatis provectioris: vel ævo grandior, vel ævi maturus. Senex multo iam ſenio confectus.
Seni verba dare difficile eſt. Senem nullus decipit.
Nemo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere. Diu vivere ſenes amant.
Solum hoc vitium affert ſenectus hominibus: attentiores ad rem ſumus omnes, quam ſat eſt. Senum eſt commoditates quærere.
De ſe aliquis more ſenum gloriari. Iactare ſe de aliquo, vt ſenes ſolent.
Pumex non æque aridus, atque hic eſt ſenex: divûm atque hominum clamat continuò fidem, de ſuo tigello fumus ſi quâ exit foras: quin cum it dormitum follem obſtringit ob gullam: ne quid animæ amittat dormiens: aquam plorat, cùm lavat, profundere: famem hercle vtendam; ſi roges, nunquam dabit. Senex nimium avarus.
Aquilæ ſenectus. Senex bibax.
Ergini canities. Senectâ viridis.
Pedem habet in Charontis Cymba. Senex Sarcophago proximus.
Viro ſeni maxillæ baculus. Edere, vt vivã oportet.

Senex doctor. Scribis in arena.

Senem admonere, vel ſenis mutare linguam: vel ſenex pſittacus negligit ferulam. Niger non dealbatur.

Senectuti labor optimum obſonium. Laborandum in iuventute, vt ſenectute quieſcas.

In ſenem necquod collocaris beneficium. Senes ſunt beneficiorum immemores.

Senectus non ſola venit. Omnia ſecum mala fert cum advenit ſenectus.

Præcipere mitem convenit pueris ſenem. Senes nō ſolo verbere iuvenum errores debent emendare.

Seneſcit bos. De ſenio nemo curat.

Seneſco ſemper multa addiſcens. Plus diſco, plus ignoro.

Senex bos non lugetur. Senicis mortem nullus ſentit.

Anno ſenior fio. Hoc mihi cauſa eſt cur ante annos ſeneſcam.

Mala ſenium accelerant. Labores ſeneſcere faciunt.

Lætitia iuvenem, frons decet triſtis ſenem. Eo eſt triſtitia in ſenibus gravior, quo in adoleſcentibus lætitia gratior.

Omnia ſecunda ſaltat ſenex. Evaſi incolumis periculo quod ignorabam.

CA-

CAPVT III.

De Corpore.

Corpus, corporis. Significat Corpus, volumen, aut quidquid tactu percipitur.
Corpusculum, li. Diminutivum.
Corpus integrum, vel sanum, vel salubre. Corpus bene valens.
Corpus mali habitus, vel corpus affectum, vel obnoxium, vel morbidum. Corpus non bene valens.
Corpus eximium, vel præstans, vel quadratum, vel egregiè venustum. Corpus perfectum.
Corpus vastum, & procerum. Corpus vltra magnitudinem.
Corpus perpusilum, vel bipedale. Corpus exiguũ.
Corpus curare, vel se ad curam corporis convertere. De corpore solum agere.
Totum corpus risu concutere. Præ risu crepare.
Totius corporis nisu in aliquid incumbere. Rem aliquam omnibus viribus agere.
Corpus suum labore conficere. Corpus affligere immoderato labore.
Corpus vulneribus inscribere. Plagis corpus cædere.
Corporis compagibus includi. Vivere.
Procurare corpus. Epulari.

Levare, reficere, vel recreare corpus. Laborem interpoſitâ quiete abrumpere.

Corpus ſomno dare. Dormire.

Corpus è ſtratis corripere. E lecto ſurgere.

Formare corpus ad quoſdam membrorum flexus. Exerceri in corporis flectionibus.

Corpus curis exerceri. Curis animum affligere.

In ſpeciem vnius corporis res diverſiſſimas colligere. Multa vno volumine complecti.

Sui corporis Regem creare. Acclamare Regem eiuſdem factionis.

Corpore effugere. Vitare aliquod periculum.

Toto corpore, atque omnibus vngulis. Pertinaciſſimè.

Corpus ſine pectore. Homo ſine intellectu.

Ingenium ingens inculto latet ſub corpore. Sub ſordido pallio latet ſapientia.

Corpus onuſtum vitijs animum prægravat; atque affligit humo divinæ particulam aurai. Vitia non ſolùm corpus, ſed animam conſpurcant.

Tydeus corpore, animo Hercules. Ingentes animos anguſto in corpore verſat.

Adverſo corpore cicatrices excipere. Vulneribus robur in bello palam facere.

Corium, rij: vel corius, rij: vel ſcortum, ti. Pellis craſſa.

Alicuius corium concidere. Fuſte aliquem tundere.

Corium perdere. Pervenire ad extrema.

Corium tam maculoſum, vt eſt nutricis parium: vel corium

corium stylis vlmeis conscriptum. Pellis tota flagellis livida.

De alieno corio ludere. Alicui tanquam ludibrio esse: vel securius agere, sed alieno periculo.

Canis vncto corio assuetus. Quo semel est imbuta recens servabit odorem.

Testa diu.

Corium epinicium. Exijt periculum vltra humanam spem.

Coriacium auxilium. Auxilium leve.

Cutis, tis. Pellis gracilis.

Cuticula, læ. Deminutivum.

Cuticulares, ium: vel meatus: vel caulæ, arum. Significāt Poros pellis.

Cutis cancellata. Pellis versicolor, vel virgata.

Cutem, vel cuticulam curare. Agere de cute curanda.

Homo nitidus, & bene curata cute. Homo incrassatus.

In cute curandâ plus æquo operari. Dare se corporis illecebris plus quam decet.

Homo ad cutem tonsus. Homo abrasus.

Cutis macie adducta. Pellis præ macritudine rugosa.

Te intus, & in cute novi. Satis temporis te agnosco.

Cutem vsque radit. Et barbam & mentum abradit.

Pellis, lis. Pellicula, læ. Significat pellem.

Secundæ, arum: vel Secundinæ, arum. Pelles queis infantes naſcuntur veſtiti.
Mediaſtinus, ni: Pellis interior ventris humani.
Pellem alicui diripere, vel detrahere. Pelle aliquẽ exure.
Se ſuam intra palliculam continere. Extra limites non proſilire..
Lectũ pelliculis, ſternere. Dormire fulcro pelliceo.
Sub pellibus eſſe. In lato patentique campo exercitum in promptu habere.
Pellitus teſtis. Teſtis corruptus.
Totus pellis, eſt miſera macritudine. Nihil niſi pellis oſſa tegit.
Pellem caninam rodere. Lite litem quærere.
Pelle præ te fers, & ſi non dicas. Hypocrita vultu agnoſcitur.
Si pellis leonina non ſat eſt, vulpina addenda. Quidquid vi fieri nequit, induſtria conſequendum.
Membrum, bri. Caro quæ reliquas corporis partes tegit.
Membrana, næ. Pellis illa exterior carnis, quæ membra tegit.
Homo captus membris. Homo nervis correptus.
Aliquid membratim cædere. Aliquem in fruſta ſecare.
Membratim, cæſimque dicere. Loqui per partes.
Artus, uum. *Articulus, li*. Oſſa cum membris, & venis, ſeu nodi illi quibus corporis extremitates inter ſe ligantur. Dicitur artus ab arctandis oſſibus.

In

In artus redire. Reuniri ofsibus.

Dolore artuum vehementer laborare: vel morbo articulari complicari. Laborare morbo arteti-co, ſive nodosâ podagrâ.

Articularius, rij. Qui hoc morbo laborat.

Gallinam deartuare: vel articulatim concidere. Gallinam menſæ apponendam diſecare.

Medulla, dullæ: vel Medullula, læ. Illud quod in medijs eſt oſsibus.

Mihi hæres in medullis: vel altè medullis infixus es. Te in anima impreſſum habeo.

Plagarum mihi medullis inſedit dolor. Dolor vulnerum meorum animam vſque penetravit.

Totus mihi furor labitur in medullas. Se nimium in iras profundere.

Aliquem medullitùs amare. Deligere aliquem.

In medijs litium medullis verſari. Snbmerſus litibus eſſè.

Mellis medullâ. Nihil ſuaviùs.

Suadæ medulla. In eloquentia eximius.

Mollior anſeris medullis. Somno mollior.

Os, oſſis: olim, oſſum oſſi. Solidamentum corporis quod nervis alligavit natura.

Oſſiculum, culi. oſſiculatim. Deminutivum.

Oſſa totus eſt, ita cura macer. Curæ ad vltimum me adegerunt.

Oſſibus atque cineri alicuius dolorem inurere. Alicui iam demortuo iniuriam inferre.

Alicuius oſſa terræ condere: vel committere: vel mandare: vel ſepulchro tegere. Oſſa alicuius tumulari.

Oſſua-

Oſſuaria, riæ. Locus in quo defunctorum oſſa reponuntur.

Os ſacrum. Extrema pars ſpinæ.

Vena, venæ. Illi meatus per quos ſanguis toto corpore difunditur.

Venas alicui incidere: vel ſecare: vel ſcindere. Sanguinem abſcisâ vena extrahere.

Venarum pulſum attingere. Pulſum ægroto tentare.

Hiantes venas adſtringere. Venam abſciſam adſtringere.

Hoc malum mihi permanavit in venas. Altas in me radices egit hic morbus.

Benigna ingenij vena. Homo ingenio eximius.

Tenuis & anguſta ingenij vena. Homo ingenio rudis.

Fæcundæ aquæ vena. Magna vis proruptarum aquarum.

Peioris venæ ævum. Ætas ferrea.

Tenere cuiuſque generis hominum venas. Omniũ hominum conditiones dignoſcere.

CAPVT IV.

De Capite.

C*Aput capitis*. *Capitulum, tuli*: *vel Capitellum, telli*. Significat Caput, vitam, aut principium alicuius rei.

Ver-

Vertex, cis. Pars ſuperior capitis.
Occiput, occipitis: vel occipitium, pitij. Pars poſterior.
Sinciput, ſincipitis. Pars anterior.
Cranium, nij. Illa ſuperficies capitis, vel calva, vel poculi genus, hanc habens figuram.
Pellicranium, nij. Pellis calvæ.
Commiſſuræ, arum. Suturæ, arum. Iuncturæ cranij.
Hemicrania, niæ. Dolor medij capitis.
Hemicranici. Dicuntur qui hoc dolore laborãt.
Cephalea, æ: vel cephalagia, giæ. Dolor capitis diurnus, & inveteratus à ſono, vel odore proveniens.
Capito, onis. Homo qui magnum habet caput.
Capital, capitalis. Periculum vitæ.
Capitale facinus: vel nefas. Crimen mortis.
Capitalis Scriptor. Author brevis, & comptus.
Argutum, breue caput. Caput parvum.
Caput obſtipum. Caput rigens.
Caput improbum. Homo perverſus.
Caput ingratum. Homo ingratus.
Capite cenſus. Homo pauperrimus.
Capite aliquem deminuere: vel caput alicui deminuere. Truncare aliquem.
Caput ab ictu abducere. Caput ab ictu divertere.
Caput laqueis expedire. Abducere ſe à periculo.
Caput corona impedire: vel redimere: vel evincire. Coronari.
Anquirere capite: vel capitis. Agere contra aliquem in re criminali.

Capi-

Capitis res est. In hoc vita consistit.
Vocari: vel adduci in discrimen capitis: vel periculum capitis adire. Vitam periculis exponere.
Causam capitis orare. Pro vitæ defensione dicere.
Caput extollere: vel erigere. Superbire.
Caput demittere, vel deijcere, vel deprimere. Superbiam deprimere.
Caput in vtrumque humerum per vices identidem demittere. Caput movere in vtramque aurē.
Caput quassare, vel iactare. Capite signum facere.
Pœnas capite persolvere, vel expendere. Solvere crimen pænâ vitæ.
Capitali supplicio in aliquem animadvertere. Punire aliquem pæna capitis.
Capite suo dimicare. Pugnam subire inter pericula.
Habere comitia capitis centuriata. Incitare populum ad necem alicuius.
Sine capite manat res. Est sine authore nuntium.
Caput illidere, vel impingere parieti, vel in parietem. Caput ad parietem allidere.
Capitis litem æstimare. Damnare aliquem expensis litis.
Caput aperire. Detegere caput.
Caput operire. Tegere caput.
A capite ordiri, vel repetere, vel rem ducere. Narrare aliquid à capite.
Ad singulas petitionis clausulas in vtrumque latus caput invertere. Petere aliquid submisso capite.

Trij-

Trijugo & satis amplo capite præditus. Monstrũ trium capitum.

Caput impexâ prorigine fædum. Caput proriginosum.

Caput non magis movet, quam si æneus sit, aut stipes hæreat. Stylo inflexibilior.

Plumbeum caput gerere. Vehementibus capitis doloribus angi.

Caput alicui demulcere. Adulari aliquem.

Capite aliquem gestare. Amare aliquem, seu æstimare.

Admoto propiùs capite. Opportunâ occasione.

Nudo capite. Impudenter.

Ne allij quidem caput. In recipiendis hospitibus parum liberalis.

Caput sine lingua. In consultationibus aliorum opinioni adhærere.

De tuo capite aguntur comitia. Agitur de tuo vitæ statu.

In caput præcipitari. Omnia perdere.

Caput asini ne laves nitro. Ne rem tuam consumas in futilibus.

Nec caput, nec pedes habet. Negotium inextricabile.

Quatuor habet capita. Inebriari, seu, (vt aiunt) geminas videre lucernas.

Tertium caput. Homo in trivio positus.

Sine capite fabula, vel sermo. Opus imperfectũ.

Caput vacuum cerebro. Virgo fatua.

Suo malum capiti suere. Sibi ipsi nocere.

Ca-

Caput vno digito ſcalpit. Homo effæminatus.
Caput ſcabere. Penſitare aliquid.
Caput tribus Anticyris inſanabile, vel ellebori indigens. Valde inſanus.
Bene comptum & feſtivum, vel lepidum foris caput, ſed intus Ariſtophanis nebulæ: Philoſtrati ſomnia: Inane peculium: Non mica cerebri: Non gutta memoriæ: Sola ſtupiditas: Solæ tenebræ in auguſto illo Capitolio triumphant. Poma (vt aiunt) Sodomorum.
Per caput, & circa latus ſaliunt centum negotia. Multorum negotiorum aculeis agor.
Quot capita tot ſententiæ. Quot ſunt homines tot iudicia.
Caput artis decêre quod facias. Non omnibus omnia decent.
Ocream capiti, tibiæ galeam adaptare. Domum è tecto fabricare.
Caput in trunco. In magno poſitus periculo.
Conſpicuum late verticem tollere. Notus apud omnes omnibus artibus.
Verticem obſtipare, vel contorquere. Movere caput, vel quaſſare.
A vertice vſque ad calcem. A principio ad vltimum.
Ab imis vnguibus, vſque ad verticem ſummum. A planta pedis vſque ad verticem capitis.
Nudus capillo vertex. Caput rapa calvius.
Occipite calvo eſſe. Nullum in poſteriori capitis parte capillum habere.

In occipitio oculos habet. Homo ſagax, vel Themi ſapientior.

Occipitio frons prior. Ne pro incerto certum omittas.

CAPVT V.

De Cerebro.

Vitalia capitis: vel cerebrum, bri. Significat cerebrum.

Cerebellum, belli. Pars cerebri poſterior.

Infundibulum, li: vel torcular, laris. Cerebri concavum.

Fornix, fornicis. Pars convexa cerebri, ſive pars ſuperior intus.

Nates, natium. Prominentiæ cerebri longiores.

Meninges, meningum. Pelliculæ quæ cerebrum tegunt.

Homo cerebroſus. Homo qui præceps fertur in iram, & ſuo conſilio adhęrens, vel obſtinatus.

Homo ſuccidi, & infelicis cerebri. Homo dementatus.

Cerebrum alicui effringere. Caput alicui elidere.

Cerebro laborare. Dolore capitis eſſe.

Hoc mihi cerebrum excuſſit. Hoc mihi nimis moleſtum fuit.

Nec micam cerebri habet. Ne ſextans quidem illi eſt cerebri.

CAPVT VI.

De Capillis, ſeu Crinibus.

C*Rines, nium. pilus, li. coma, mæ. capillus, lli.* Significat capillum.

Cæſaries, ei. Capillitium, tij. Capillamentum. ti. Capillamentum.

Cirrulus: vel intortus: vel anulus capillus: vel cincinni, norum. Capilli contorti, & criſpati.

Corymbus, bi. Criſpatus fæminæ capillus.

Scorpius, ij. Capillus puerorum in anulos contortus.

Tutulus, li. Suggeſtum comæ. Ornamentum capitis, vittis ac crinibus innexum, in altitudinem erectum.

Tricæ, carum. Capilli vittis intertexti.

Galerus, ri. Galericulum, culi: vel coma adoptiva: vel adſcititia: vel ſutile capillamentum. Capillamentum ex aliena coma ita capiti aptatum, vt internoſci non queat.

Anthiæ, arum: vel crines ante ventuli: vel propenduli. Capilli in verticem ſummum adducti, vt ſunt muliebres capilli in fronte demiſſi, quod ante faciem ſiti ſint.

Cani, canorum. Capilli albi.

Acrocomæ, arum. Qui capillos in frontem demiſſos geſtant.

Opi-

Opiſtocomæ, opiſtocomarum. Qui crines habent verſus tergum deflexos.

Crines paſſi, vel ſoluti. Crines ſoluti.

Capillos concinnare, comere, componere. Crinem comere.

Capillos pectere, vel dentatâ manu ducere, Crinem pectine diſtinguere.

Capillos rutilare: vel nitellâ aureâ aſpergere: vel illuminare. Inaurare crines.

Capillos calamiſtris inurere, vel vibrare. Crinem ferro contorquere.

Capillos torquere in anulos. Criſpare crinem.

Capillos ſpuma aut ſapo accendere, vel fucare. Crinem tingere.

Capillos turbare. Comam incomptè permiſcere.

Capillos diſtinguere: vel dividere: vel diſcriminare. Crines ordinatè componere.

Capillamentum curiosè ſtruere, & militari ſtatione diſponere, vel conſtituere. Curam habere de crine.

Comas â fronte negligenter reijcere. Crines poſt tergum pulchritudinis gratiâ incomptè demittere.

Turbidos impexoſque crines gerere. Crines incõptos geſtare.

Crines nitidi & vnguento delibuti. Crines vnguento inuncti.

Capillos alicui inæqualiter tondere. Tondere aliquem gradatim, & vt aiunt ſaltuatim.

Capillis trahere. Aliquem per vim ducere.
Circumtondere crines alicui. Illudere aliquem.
Capere crines. Occasionem prendere.
Servus cum sis comam geris? Non hoc tuam decet personam.
Etiam capillus unus habet umbram suam. Culpæ & si levissimæ nocent.
Ne pilo quidem doctior. Homo ignorantissimus à quo si dexteram petas, porrigere nescit.
Pilo dignus, ne pilo quidem melior. Pro illo ne sextans quidem.
Pilos pro lana. Allia vendere pro cæpis.
Pilus in medio. Vna tantum inter nos datur voluntas: sive unus idemque animo sumus.
Ante pilos sapit. Vidi puerum, credidi esse senem.
De pilo pendet. Hoc in summo periculo est.
Lupus pilum mutat non mentem. Quod natura dat nemo negare potest.
Nemo comatus, qui non sit molliusculus. Cincinnatus, vel effæminatus idem est.
Servilis capillus. Homo moribus vitæ agrestis.

CAPVT VII.

De Calva.

C*Alvitium, vitij: vel Calvicies, ei: vel calva, væ*. Significat calvam hominis.

Cal-

Calvaria, riæ. Caput ne vno quidem pilo.

Calvus, vi: vel calvaster, stri: vel vir glabo capite. Homo calvus.

Calvo, as: vel calvesco, scis. Fieri calvus.

Pistillo, onis: vel cucurbitâ calvior: vel Miconius calvus. Homo nimium calvus.

Calvum vellis. Nigrum dealbas, vel vt aiunt, in vanum laborare.

Viri senis astaphis calvaria. Homo longa ætate exsuccus.

Calvo comato nihil est turpius. Non decet caput capillamentum ex aliena coma.

CAPVT VIII.

De Fronte.

F*Rons, frontis.* Frons hominis, sive principium alicuius rei, aut pars anterior alicuius operis.

Frons runcina: vel refugo capillo nuda. Frons sine capillo.

Frons erugata, vel serena, vel exporrecta, vel explicata, vel dilatata. Vultus hilaris.

Frons nubila, vel nubibus obducta: vel obnubilata, vel striata, vel corrugata, vel contracta, caperata, vel matutina, dijs irata. Vultus torvus.

Frontem severitudine caperare, vel strijs opprimere, vel frontem sulcare. Frontem adducere: vel tristari.

Frontem sollicitam, vel contractæ frontis seria explicare. Lætari.

Frontem ferire. Indignari supra modum.

Frontem perfricare. Pudorem abijcere.

Homo perfricatæ, vel prostitutæ frontis. Homo inverecundus.

Verâ fronte dicere. Loqui absque mendacio, vel fictione.

Ad vrbanæ frontis præmia descendere. Petere sibi aliquid confidenter: vel spe certâ: vel opinione de alio acceptâ.

Dexterâ sæviente frontem replaudere. Irasci vehementer.

Frontem linteolo, vel sudario extergere. Sudorem abstergere.

Detectâ fronte pugnare. Publicè pugnare.

Pugnare in frontem. Pugnare contra primam exercitus aciem.

Primâ fronte. Primò aspectu, vel primo intuitu.

Fronte, & mente alicui studere. Aliquem & opere, & intentione odio habere.

Frontem remittere. Lætari, seu recreari.

Ipso in theatro frontis, impudenti gena frontis Histrioniam facit. Vultus tuam satis explicat inverecundiam.

Frons perijt: vel ne reliquiæ quidem pristinæ frontis apparent. Pudor evanuit.

E fronte perspicere. E vultu cor dignoscere.

Tabernariam fronte exercet. Nullũ habet pudorẽ.

A fron-

A fronte præcipitium, à tergo lupi: vel à fronte, à tergo, à lateribus teneri. Eſſe in anguſtijs.

A fronte ſimul, & occipitio. Non ſolùm præterita, ſed futura prævidere.

A fronte, à tergo inſpicere. Aliquid diligenter perpendere, vel examinare.

Suâ fronte. Liberè, ſeu clarè.

ADVERTENTIA.

Frontem, vel os perfricare, de inverecundo ortum hinc proverbium: Cum enim in pudibundo ſanguis ex corde tanquam velamẽtum in os diffundatur; qui impudibundi ſunt & inverecundi ne erubeſcere videantur os, & frontem ſolent perfricare ad ruborem illum detegendum, & ad interiora repellendum. Sic apud Cic. 3. Tuſcul. Quid tergiverſamur Epicure, nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem cum os perfricuiſti, Soles dicere:

CAPVT IX.

De Supercilio.

SVpercilium, lij. Arcus ille ſuper oculos prominens, vel breuibus veſtitus pilis, vel etiam ſignificat montis verticem.

Intercilium, lij. Spatium illud quod inter vtrũque ſupercilium intercedit.

Cilo, onis. Homo qui ſupercilia habet prominentiora, vel frontem: vel cui caput eſt oblongum, & compreſſum.

Homo ſuperciliosſus. Homo longioribus ſuperciliis, vel ſeverus.

Supercilium Catonianum, vel Campanum, vel Cenſorium. Nimia ſeveritas.

Supercilium hirſutum. Supercilium pilis aſperum, ac ſpiſſum.

Supercilium crebris volſellarum morſibus circumcidere, vel circumradere. Pilos è ſupercilio evellere.

Supercilium ad frontem tollere. Tollere ſupercilia.

Supercilium ad mentum deprimere. Supercilia demittere.

Supercilium demere, vel ponere. Exuere ſeveritatem.

Supercilia vſque ad malarum ſcripturam currentia, & rurſus confinio luminum pene permiſta. Supercilia ad artem inarcuata, vel perfectiſſima.

Supercilium ſalit. Aliquid mihi boni cor præſagit.

Suo ſupercilio vti cælum Athlante niti putat. Eſt vltra menſuram ſuperbus.

Piſandri galea, & ſupercilium. Homo, vt aiunt, phantaſticus.

CA-

CAPVT X.

De Oculis.

OCulus, li: vel ocellus, lli: vel ophthalmus, mi. Significat oculum, & dicitur ab occulendo, quod ciliorum teguminibus oculatur; Accipitur pro notis, seu maculis rotundis quales videmus in Pardorum pellibus, & caudis pavonum: Item dicuntur oculi in arborum surculis, vnde germinant.

Sinus oculi, vel pelvis, vel cavum oculi. Concavitates illæ oculorum quibus lachrymæ erũpentes primum excipiuntur.

Momentum oculi. Clausus oculorum.

Albumen, nis: vel albugo, ginis: vel albedo oculi. Illud quod in oculo est album.

Hirci, corum. Angulus oculi.

Pupula, læ: vel pupilla, læ. Circulus ille in medio oculi apparens niger.

Iris, iridis. Ille alius circulus pupillas circumcingens.

Hypopia, orum. Nervi oculorum.

Palpebræ, arum. Gena, næ. Tegumentum oculi. Pili oculos exterius claudentes.

Palpebrarum crepidines: vel chelæ, arum. Extremitates palpebrarum.

Oculorum acies. Oculorum in videndo vis.

Oculi noctuini, vel herbei, vel herbacei, vel glauci. Oculi ſelinei, vt aiunt.

Oculorum honor, vel venuſtas. Grata oculorum pulchritudo.

Oculi cæsij. Oculi colore ſubviridi clari.

Oculi lyncæi, vel aquilini, vel milvini, vel acuti. Oculi aſpectu perſpicaces.

Oculi emiſſitij. Oculi vivaces.

Oculi pæti. Oculi agitatione faciles.

Oculi incerti, Oculi, qui decipiunt, vel decipiuntur.

Oculi arguti. Oculi clari.

Oculi maligni. Oculi ſimiaperti.

Ogophthalmus, mi. Oculi caprini.

Oculorum livor. Color ille ſubniger & plumbeus oculorum ab hircis incipiens.

Oculorum nictus. Oculorum vtrobique agitatio.

Myops, opis. Dicitur homo, qui obiecta niſi propius oculis admota non videt, limiſque & ſemiclauſis oculis intuetur.

Luſcioſus, oſi: vel Luſcitioſus, oſi. Dicitur homo, qui ad lucernam non videt, vel veſperi: vel qui propiùs admota videt.

Luſcitio, nis: vel Nuſcitio, nis: vel eluſcatio, nis. Significat vitium oculorum.

Strabo, onis. Strabus, bi. Homo habens oculos diſtortos.

Lucinus, ni. Ocellæ, arum. Homo exiguis oculis, ac brevi viſu.

Cocles, clitis. Luſcus, ci. Deſioculus, li. Dexioculus

lus, li. Vniocnlus, li: vel Vnoculus, li: vel altero captus oculo. Monophthalmus, *mi*. Homo vno carens oculo.

Exophthalmus, mi. Homo exertis, & prominentibus oculis. Homo oculis extrorſum prominentioribus,

Celophthalmus. mi. Homo habens oculos veluti in fornice abſconditos.

Triophthalmus, mi. Homo tres habens oculos.

Ophthalmia, æ. Dolor oculorum.

Homo nigris oculis decorus. Homo nigros oculos habens.

Homo in oculis omnium præſtans. Homo apud omnes pluris habitus.

Aliquem oculitùs amare, vel aliquem in oculis ferre, vel geſtare. Diligere aliquem.

Oculis obſervari. Nullius è memoria excidit.

Abire ab oculis alicuius. Subducere ſe ab alicuius aſpectu.

Alicuius oculos in ſuis habere. Voluntatem alicuius ſectari ad illi obſequendum.

In oculos alicuius incurrere. Offendere aliquem adverſo fronte.

Irretortis oculis, vel rectis oculis aliquem intueri. Fixos oculos in aliquem habere.

Spargere oculos. Huc illuc oculos circumvertere.

Oculis temperare. Temperare à lacrymis.

Aliquid oculis obire, vel perlegere, perluſtrare, vſurpare, vel aliquid oculis ſubijcere. Videre aliquid.

Oculos alicui adijcere. Aliquid nimiũ deſiderare.
Obliquis oculis limare commodum alicuius. Alieno bono triſtari.
Oculorum experimentum capere. Experientiam oculis velle.
Oculis collyria illinire. Mederi oculos.
Aliquid curioſis oculis arbitrari. Curiosè alicuius facta perſcrutari.
Hircis obtueri. Tueri è tranſverſo.
Oculos corrugare. Conniventes oculos habere.
Oculos in aliquid colimare. Oculos alicubi fixos habere.
Oculorum vſum amittere. Cæcari.
Acres atque acutos oculos, vel in aſpectus prorſus micantes aquilinos habere. Oculos habere vivaces.
Oculos alicuius ſpectaculi proſpectu reficere, vel paſcere. Delectari in grato alicuius aſpectu.
Eripere, vel effodere, vel evellere, vel eruere, vel eradicare, vel exculpere ſibi oculos. Avellere ſibi oculos.
Æquis oculis aliquem aſpicere. Benignis oculis aliquem tueri.
Oculos in aliquem conijcere. Aſpicere in aliquem.
Oculos ab aliquo deijcere. Ammovere oculos ab aliquo.
Oculos in aliquem intendere. Applicare oculos ad aliquem.
Sua inunctis oculis mala videre. Nullum in ſe defectum videre.

In

In amicorum vitijs acutum cernere. Festucas ad vsque in amicorum animis penetrare.

Homo malè oculatus. Homo difficilè videns.

Homo oculis pervertitijs, vel distortis, vel depravatis. Homo qui nocentibus oculis videt.

Exertis, & inconversis oculis. Oculos habere vigiles.

Perfricatis oculis, & obarmatis ad vigilias. Oculos ad vigilandum expergisci.

Inconnivæ vigiliæ luminibus addictis, & in perpetuam lucem excubantibus. Semper in speculis esse.

Inconniventibus palpebris. Absque oculorum nictu.

Dolère oculis, vel ab oculis. Dolore oculorum affici.

Hoc mihi cariùs oculis, vel hoc mihi oculissimum est. Pluris hoc facio.

Locus oculatissimus. Locus omnibus patens.

Tollere oculos. Pascere oculos: vel delectari ab oculis.

Iratus in aliquem oculos defigere. Oculos in aliquem iratus inijcere.

Oculos demittere, vel humi figere. Oculos modestos habere.

Hoc non nisi oculorum fide credendum. Nemo, nisi videns, credit.

Aliquem tacitis luminibus designare. Intueri aliquem sine adstantium notâ.

Oculis contrectari. Videri multoties ab alijs.

Atro-

Atroci oculorum coniectu aliquem perterrefacere. Metum alicui ſolo aſpectu incutere.

Oculos immaniter attollere. Oculos expaveſcentes attollere.

Defixis oculis torpere, vel torpeſcere. Hærere oculis in aliquo defixis.

Oculis clariores ſtellis extra lunam fulgẽtibus. Oculi nitentes.

Oculi corvina nigredine. Oculi nigri.

Oculi loquaces, mobilitate verſatiles, oculi de Tribu Vultinia. Oculi circummobiles.

Velut emptor, aut laniſta me diligenter inſpicit. Mercantium more me diligenter, ac lentè oculis conſiderat. In me hærentibus oculis attentè ſtupet.

Clauſis oculis agere, vel perſtringere. Aliquid cæcis oculis agere.

Vt fici oculis incumbit. Homo negotioſus, vel qui pertinaciter prement, ac vrgent negotium aliquod.

ADVERTENTIA.

Hinc ortum proverbium de ijs dici, qui pertinaciter negotium aliquod premerent, ſumpta ſimilitudine à ficis, hoc eſt, à vitio quod oculis innaſcitur, nec facilè poteſt evelli oculo incolumi.

Fixis oculis intueri. Perpendere aliquid lentè.

Inter cæcos regnat Strabus. Qui inter cæcos habet oculum, is ſe regem eſſe arbitratur.

Hyr-

Hyrpsea, vel Tiresca, vel Leberide cæcior. Homo nimium cæcus.

In vtrumvis oculum, vel vtroque oculo dormire. Somno sepultus.

Iustitiæ oculus. Iudex integerrimus.

Lippo oculo similis. Licet noceat, malo bibere.

Lippus oculus Solis radios non fert. Alienum bonum odit perversus.

Oculata dies. Hæc dies mihi ad lucrum orta.

Cæca dies. Nullius mihi lucri hæc dies illuxit.

Oculis offundere pulverem. Litem involvere.

Semper oculatæ nostræ sunt manus, credunt, quod vident. Des parum, nulla promittas.

Pluris est oculatus testis vnus, quam auriti decem, vel oculis magis habenda fides, quam auribus. Fides nostra magis est oculorum, quam auriũ.

Oculum excludito, si dedero. Nullam petitioni spem addas.

Oculus dexter mihi salit. Aliquid boni mihi cor inaugurat.

Oculis ac manibus rem tenere. Nullum de aliquo dubium habere.

Atrèi oculi. Lemnius obtutus: vel Saturninus, aut Titanius aspectus. Visus horribilis.

Desertum, vel tragicum, vel Titanicum, vel Pallericum, vel Origanum, vel Martem obtueri, vel Pyrrhichen oculis præse ferre, Severè aliquid videre.

Saturninæ lænæ. Ille est talpâ cæcior.

Cucurbitas, vel ollas lippis. Habes in oculis nebulas.

He-

Nemesis & Dirces oculos in dicendo adhibere. Loqui torvo aspectu.
Oculus caninus. Non agnovit pudorem.
Perspicacior Lyncæo & Argo. Homo visu perspicax.
Cornicum oculos configere. Se maioribus sapientiorem iudicare.
Crania bina gerit, & innumeros oculos. Homo admirabilis prudentiæ.
Tergora tueri. Periculum timere.
In Sole caligare. In luce caligare.
Invidus vicini oculis. Fertilior seges est alienis semper in agris.

CAPVT XI.

De Auribus.

AVris, is. Pars illa capitis, qua voces haurimus.
Auricula exterior. Pellis quæ aurem tegit.
Aricula infima, vel ansa auriculæ, vel auris ima. Pars extrema auris.
Piñula, læ. Caput vel summa pars auris.
Capreolus, oli. Circulus interior auris.
Concha, chæ. Illud cavum, vel fundum auris.
Tragus, gi. Illa pars correspondens conchæ auris.
Auris meatus. Vehiculus auris.

Te-

Testudo, nis. Illud concavum auris.
Aurium marmoratum, cerumen, nis. Cera auriũ.
Aurium verminatio. Prorigo aurium.
Auriscalpium, pij. Illud instrumentum quo aures poliuntur.
Inauris, is. Ornamentum quod fæminæ in auribus appendent.
Surdaster, stri: vel Surdus, di. Surdus.
Graviter audire. Homo ægrè audiens.
Auriculæ infractæ, vel flaccidæ, vel demissæ, vel pendulæ. Aures demissæ.
Aures severæ, teretes, tritæ, vel religiosæ. Aures placitu difficiles.
Alicuius aures excisare. Abscindere alicui aures.
Alicuius auriculam mordicùs auferre. Aurem alicui dentibus amputare.
Alicuius aures serio sermone permulcere. Delectari aliquem suavi sermone.
Meæ peregrinantur aures; neque in pervagato civitatis sermone versantur. Nescio de quo in civitate loquatur.
Abuti auribus alicuius. Multiloquio aliquem in nauseam provocare.
Auriculis alienis escas colligere. Nuntia emendicare alijs.
Studere, vel servire, vel blandiri, vel dare auribus alicuius. Adulari aliquem.
Alicuius auribus insidias facere. Verbis aliquem fallere.
A*liquid suspensis, vel arrectis auribus bibere, haurire,*

rire, vel accipere. Audire aliquid libenter.

Attentas, vel benevolas, vel faciles aures præbere, dare, dedere, exhibere, accommodare, advertere. Audire aliquem attentè.

Aliquem admonere ad aurem. Monitum de aliquo alicui facere.

Petere aurem alicui. Admonere aliquem.

Alienas laudes parum æquis auribus accipere. Alienas laudes ægrè audire.

Aversari auribus alicuius. Alicuius Nuntijs defidere,

Aversis auribus alicuius monita respuere. Spernere monita alicuius.

Volo te paucis. Habeo tibi vnum quid dicere.

Et tumet, & regnat media inter cæca virorum. Agmina Strabus inops. Pauper parvo lætatur.

Aliquid tutis auribus deponere. Homini fido secretum suum aperire

Dicere alicui in aurem. Loqui aliquid secretò.

Alicuius aures obtundere: vel in alicuius aures obganire, vel insusurrare. Importunè aliquem vocibus defatigare.

Dignum aliquid auribus dicere. Loqui eleganter, vel benè.

Aures assentationibus patefacere. Adulatoribus auentire.

Hoc eruditis auribus ingratum est. Sapientibus hoc aversatur.

Alicuius aures convitijs defatigare, vel delassare. Aliquem vltra vrbanitatē verborū iniurijs afficere.

Au-

Auriculas infimas immiſſo auro lacerare. Filo aureo aures ornare.

Homo obeſæ auris. Homo ſtupidus, vel rudis.

Aurium ſenſus faſtidioſiſſimus. *Aurium iudicium ſuperbiſſimum*. Omniũ ſenſuum auditus placitu difficilior.

Parcere alicuius auribus. Tacere quod alicuius aures lædit.

Hebetes aures habere. Audire aliquid abſque attentione.

Aures claudere, vel obſtruere veritati. Aurem à veritate avertere.

Obſeratis auribus preces fundere. Petere rem non daturo.

Aliquid rimosâ in aure deponere. Sacramentum loquaci detegere.

Hoc ad aures pervenit, vel accidit ad aures, vel auribus, vel acceſſit ad aures. Audivi hoc.

Regum aures patère debent querelis hominum. Reges ad lacrymas populi aures debent patefacere.

Obtrectatio, & livor primis accipiuntur auribus. Nihil detractore libentiùs auditur.

Lupum auribus tenere. Eſſe in dubio.

Auris Batava, vel Bœotica: vel cæcus auribus, atque mente. Homo nimium rudis.

Surdo canis, vel ſurdo fabulam narras. Incudem tundis.

Surdaſter cum ſurdaſtro. Iam ſumus ergo pares.

Animus habitat in auribus. Quæ audimus magis efficacia ſunt.

Ad Deorum aures pervenit, vel Iovis auribus ſervatur. Iniuriam videt qui talem inſtaurabit.

Ad ambas vſque aures impleri. Expleri ad ſatietatem vſque.

Aures nec habebo, nec tango. Nulla mihi fides datur.

Auribus ſcalpendis deeſt otij. Sexcentis vndique teneor negotijs.

Auriculâ infimâ mollior. Conditio illi eſt cerâ mollior.

Auris dextera mihi tinnijt. Bonam apud omnes de me opinionem accipio.

Auris ſupina. Homo ſeverus.

Auribus prouehi. Itineris defatigationem ſpernere.

Albas manu mobili auriculas imitari. Illudere aliquem.

Demitto auriculas vt iniquæ mentis aſellum, cum gravius dorſo ſubijt onus. Nil vltra, ſpei mihi ſupereſt.

Ceram auribus obdis, vel illinis, vel ſurdas præbes aures. Aures fingis mercatoris.

In dexteram aurem, vel in vtramvis aurem dormire, aut quieſcere. Sine curis eſſe.

Multæ Regum aures, atque oculi. Nihil Regibus occultatur.

Oleum in auricula ferre. Libenter quidquid dicitur audire.

Per

Perpurgatis auribus operam dare. Adulationibus aures patefacere.

Eum auſculta cui quatuor ſunt aures. Sapientes conſule.

Hoc ſummis auribus inſidet. Nihil minus gratius illi eſt, quam hæc audire.

Procul auribus nuntius veniat. Hoc omen Deus avertat.

Teronteo cornu ſurdior: vel ſurdo ſurdior. Homo ſurdiſsimus.

Surdis teſtimoniјs agere. Vocare aliquem in ius nullo nocendi animo.

In aſini aures canere. Loqui eruditè inter ignorantes.

Midas auriculas aſini habet. Omnia illi patent: vel omnia ſcit.

CAPVT XII.

De Naſo.

N*Aſus, ſi.* Significat Naſum.

Naſi orbiculus, vel piñula. Naſi cuſpis.

Alæ, arum. Pinnula, æ. Pelles quæ naſum tegunt.

Interfinium, nij: vel Iſthmus: vel imbrex, icis. Medium naſi.

Vibriſſæ, arum. Vibriſſi, orum. Naſi pili.

Naris, is. Foramina naſi.

Naſus reſimus. Naſus depreſſus.

Nasus aquilus, aut aquilinus, vel aduncus. Nasus acutus.

Naso, onis: vel nasutus, ti. Homo magnum habens nasum, vel dicax.

Silus, li. Homo extremitate nasi sursum reflexâ.

Simo, onis: vel Simus, mi. Homo naso pressus Æthiopis in morem.

Michtyrismus, mi: vel Nasus Atticus. Nasi mobilitas ad illudendum aliquem.

Polypus, pi. Nasi morbus, cum caro interiora nasi occupat, à multifida incisione, qua polypi piscis pedes imitari videtur.

Polyposus, si. Homo hoc morbo laborans.

Muncus, ci. *Pituita nasi, vel madidi nasi infantia*: Excrementum nasi.

Nares oblæsæ. Nasus habens foramina obstricta.

Nares camuræ. Nasus obuncus.

Nares follicantes. Nasus tumidus.

Styli nasus. Satyra, aut dicacitas.

Nasus à summo eminentior, & ab imo deducior. Nasus summitate maior, & minor extremitate.

Nasus venustè incurvus. Nasus venustate proportionatus.

Pravo, vel turpiculo naso vivere. Nasum habere indecorum, vel indignum.

Vigilanti naso stertere. Strepitum in dormiendo edere.

Aliquem mordicus denasare. Alicui nasum morsu avellere.

Pla-

Plana manu nasum resupinare. Sursum nasum fricare.

Detergere, purgare, vel emungere nares. Nares emungere.

Aliquid naribus ducere. Aliquid olfacere.

Aliquid ad nares admovere. Aliquid ad nasum admovere.

Balbâ de nare loqui, vel clamare. Loqui naso strepente.

Bilem in alicuius nasum concire. Aliquem in iras provocare.

Nasum hiare, vel aduneo aut exculto naso suspendere: vel vti naribus: vel nimis vncis naribus indulgere: vel crispante naso cachiños ingeminare: vel Rhinocerontis nasum habere. Illudere.

Illi penè terram tangit indecens nasus: vel illi est nasus amplâ mole correptus: vel prolixè, & liberaliter nasutus est. Vltra mensuram nasum habet.

Homo oblæsæ, vel obtusæ naris, vel polyposus: Homo rudis.

Homo emunctæ naris, vel acutæ. Homo prudens.

Nihil te nasutius est. Nullus dicacior te est.

Sagax nasum habet. Est homo nimis sagax.

Cubito emungit. Est homo è fæce plebis.

Emungens acrius elicit sanguinem. Restio seu funis, nimium si distrahas, frangitur.

Bilis in naribus. Accensus irâ.

Pituitam à naribus allio & cæpe detergit. Argu-

mentandi methodum neſcit.

Fumantem naſum vrſi ne tentaveris. Ne dormientem canem ſuſcites.

CAPVT XIII.

De Ore.

OS, *oris*. Significat os.

Palatus, ti: vel Palatum palati. Concavũ oris, ſive, vt aiunt, cælum oris.

Oricus, oricis: vel Matticus, ci: vel Matricus, matrici. Qui os nimium aperit.

Rictus, cti. Illud oris aperire.

Os balbum, vel oblæſum, vel confuſum: vel Fraulus, li. Qui in loquendo confusè, & balbè edit voces.

Os planè Atticum, atque rotundum. Eloquens.

Os ferreum, vel durum. Impudens.

Ingenuum os. Benè moratus.

Demiſſum os. Homo in loquendo modeſtus.

Immane os. Os vaſtum.

Gravis odor oris. Oris graveolentis fætor.

Oris anhelitus. Oris reſpiratio.

Anima, mæ. Calida aſpiratio oris.

Tibi fætet animus. Graveolens tibi oris odor eſt.

Oſcitare, vel os repandere, vel hiante ore, toto corpore extendi. Expergiſci.

Vno ore, vel omnium conſenſu. Omniũ approbatione.

Abi-

Abire in ora hominum. Per os omnium verſari.
Admirari aliquem ex ore alterius. Aliquem ex dictis alterius vereri.
Os vaſte, vel immaniter deducere. Os vaſte aperire.
Os ducere, vel diſtorquere, vel depravare. Os contorquere.
Os ita fiſſum vt penè ad aures pertineat. Os nimis abſciſum.
Imperturbato ore bibere. Bibere lentè, ac ſuaviter.
Ore avido cibos captare. Feſtina mandibula cibos ori ſubminiſtrare.
Eluere os. Lavare os.
Impuriſſimo ore in abſentes aliquid evomere. Abſentum famam rodere.
Placido ore aliquem compellare. Aliquem amoris ſigno vocare.
Pleno ore aliquem laudare. Laudibus aliquem ad aſtra tollere.
Aliquem ſemper in ore habere. Recordari alicuius multoties.
Os alicui lædere. Conviciari alicui in præſentia.
Hoc in ore eſt omni populo. Hæc fama eſt.
In ore alicuius eſſe. Eſſe in alicuius corde expreſſus.
Os alicui tradere. In alicuius laudibus totus eſſe.
In ore vulgi & communibus proverbis verſatur. Nihil præter illius fama in ore omnium auditur,

Aliquid in os inserere, vel congerere. Os obturare.

Ore concrepato fremere. Intemperanter loqui.

Ex eodem o. e calidum, & frigidum. Homo duplici vultu medax.

Curetum os. Lingua præsaga.

Inter calicem, & os, vel inter offam & os. Cælo neu crede sereno.

Mansum ex ore dare. Benigne aliquem mulcere.

Os duodecim salientum. Est eloquentissimus.

Labium, bij: vel labrum, bri, vel Labellum, lij. Significat labra, quæ oris sunt ostia.

Labio, onis: vel Labrosus, si. Homo labra habens crassa.

Labra collidere. Labra concutere.

Labra repandere Mussitare.

Valgia, orum. Mussitatio ore introrsum extorto.

Labra movere. Loqui submissâ voce.

Intra labra ridere. Risum modestè explicare.

Labra non palatum rigat. Hoc dentis cavernulæ vt satis sit vereo ad implendum.

Labra fonte proluere. E fonte bibere.

Labra poculis admovere. Poculum ad os ferre.

Primoribus labris degustare. Aliquid obiter attingere.

Summis labris degustare. Ægro corde aliquid operari.

Mordere labrum. Indignari.

Labris trementibus requirere. Inquirere aliquid veluti metuens.

Multa cadunt inter calicem supremaque labra. Nimium

mium ne credas præſenti bono.

Homo è Labiorum, & Brochorum familia. Homo bonus vir.

CAPVT XIV.

De Lingua.

L*Ingua,guæ:vel Lingula.læ.*Significat linguã. *Sublingium, gij: vel gurgulio, onis: vel curculio, onis: vel columella, læ. Epiglos, ſis ſeu Epiglottis, dis: vel Tonſillæ*. Illa caruncula in fine palati ad faves dependens.

Hypoglottis, idis. Caruncula quâ lingua cohæret inferiori parti oris, ſive pars illa, quæ ſub lingua ſita eſt.

Lingua celer & exercitata, ſive facilis. Lingua in dicendo expedita.

Lingua dives, & elegans. Lingua fæcunda.

Lingua procax. Lingua inverecunda.

Sanna, næ. Irriſio quæ contractis linguæ partibus fit.

Sannio, onis. Irriſor huiuſmodi.

Subſanno, as. Sañionem agere, vel ſitientis linguam canis imitari. Irridere aliquem.

Poſtica ſanna aliquem illudere, vel explodere. Illudere aliquem illo diſcedente.

Linguam exerere, vel exertare, vel eijcere, vel educere. Linguam extra os emittere.

Lin-

Linguæ moderari. Frænare linguam.
Linguam excidere, vel avellere, vel reſecare, vel extrahere, vel eripere alicui, ſeu elinguo, as. Linguam alicui abſcindere.
Te elinguandum dedam vſque à radicibus. Tibi linguam ab imis radicibus eruam.
Lingua nulla eſt quâ negem quidquid roges. Non eſt apud me tibi aliquid denegare.
Linguam ad alicuius mores divertere. Reprehendere aliquem.
Linguis favère. Loqui, & tacère ad tempus.
Linguam alicui occludere. Linguam alicui obſtruere.
Liberâ vti linguâ. Loqui liberè.
Linguam in ore clauſo tenere. Obmuteſcere, & intra ſuam pelliculam contineri.
Hæſitat, vel torpet lingua, vel deeſt palato lingua. Tacère impellor.
Linguam cauſis acuere. Exerceri in cauſis agendis.
Vtrinſque linguæ ſermone doctus. Calet linguam græcam, & latinam.
Sermo eſt vtrâque linguâ concinnus. Loquitur eleganter non ſolùm græcam, ſed latinam linguam.
Patrua lingua. Lingua ſevera.
Theſaurus ſtultis in linguâ ſitus, vt quæſtui habeant malè loqui melioribus. Minus ſapientes magis loquaces.
Linguâ amicus. Amicus vſque ad os.
Linguâ bellare, Pugnare cum timido.

Aliis

Aliis lingua, alijs dentes. Noli contra cælum spuere.

Lingua iuravit. Promissis non stetit.

Lingua lapsa verum dicitur. Per id temporis veritas tantum casù loquitur.

Lingua redarguta. Acquiescere veritati nequit.

Linguâ impetere. Conviciari alicui.

Quidquid in linguam venerit. Loqui sine consideratione.

Linguâ præconi. Aliquid pro labore meretur.

Bos in lingua. Muneribus corruptus.

CAPVT XV.

De Dentibus.

D*Ens, dentis*. Significat Dentem.

Dentes adversi, vel incisores, vel tomici, vel anteriores, vel primores, vel gelasini. Dentes prima oris parte positi.

Dentes columellares, vel canini. Dentes post primos sequentes.

Dentes molares, vel maxillares. Dentes interiore oris parte positi.

Dentes intimi, vel genuini. Dentes vltimi, sive vt aiunt prudentiæ.

Dentes pullini. Primi dentes in infantibus.

Dentes eminui, vel exerti, vel prominentes. Dentes extrorsum prominentes.

Den-

Dentes pectinatim coeuntes. Dentes ſuper alios impoſiti.

Dentes rubiginoſi, vel rubigine ſcabri, vel lividi, vel putridi, vel carioſi. Dentes ſcalore putres.

Præſepia, orum. Oſſa illa quæ dentes ſuſtentant.

Cavernæ, arum. vel cavitates, vel mortariola, vel alveoli. Dentium cavernulæ.

Gingivæ, arum. Gingiva.

Sepes, pis. maceria æ: vel ſeries, ei, Ordo dentium.

Menſa, ſæ. Pars illa latior dentium molarium.

Moniſcus, ci. Pars dentis gingivam attingens.

Dentis impreſſio. Morſus dentis.

Dentio, tis. Dentari incipere.

Dentitio, onis. Dentium pululatio.

Dentes mihi primodum cadunt, vel defluunt, vel laborant. Dentes incipiunt evelli.

Acri aceto alicuius dentes defricare. Aliquem in iram provocare.

Candorem dentibus facere, vel dentes nitelâ candefacere. Dentes candidiores reddere.

Dentifricium, cij: vel nitela, læ. Pulvis quo candefiunt dentes.

Dentiſcalpium, pij: vel Lentiſcus, ci. Inſtrumentum quo dentes poliuntur.

Dentes emptitios gingivarum lacunis inſerere. Vti dentibus adoptivis.

Timendos in aliquem dentes acuere. Minari alicui.

Dentes forcipe comprehendere. Dentes forcipe adſtringere.

Den-

Dentes sub forcipe confringere. Dentes forcipe rumpere.

Concutere dentes, vel dentes alicui labefacere. Dentes commovére alicui.

Eximere dentes. Dentes eruere.

Dentes colluere. Dentes lavare.

Atterere dentes comprimendo, vel dentem in dente defatigare. Dentes quatere.

In aliquem dentibus involare. Mordere aliquem.

Dente maledico, vel invido, vel livido carpere, vel mordere. Murmurare.

Districta dentium acie stridère. Strepitum dentibus edere.

Dentes circumscarificare. Dentes vsque lentisco scalpere, vt sanguis exeat.

Cruento dente lacessere. Iniurijs aliquem afficere.

Superbo dente cibum tangere. Tædio cibum habere,

Mandibula, læ: vel maxilla, læ: vel mala, læ. Pars illa vbi infixi sunt dentes.

Mandibulis alienis ridere. Ridere sine titillatione.

Vtrâque mandibulâ. Vtrâque mandibula cibos captare.

Homo dentatus. Homo omnes habens dentes.

Homo edentulus. Homo sine dentibus.

Edentulus vescentium dentibus invidet. Nemo bonum, quo caret in alio desiderat.

Edentulæ maxillæ. Latrare poteſt, mordere non poterit.

Den-

Dentem dente rodere. Saltandum, vt ſonas.
Dente Theonino rodere, vel genuino mordère, vel genuinum frangere, aut illidere in aliquo. Alienam famam minuere.
Delio natatore opus eſt. Hoc opus hic labor eſt.

CAPVT XVI.

De Barba.

B*Arba, bæ. vel veſtis, veſtis*. Significat barbam hominis.
Lanugo, nis: vel prima barba. Prima iuvenis lanugo.
Alæ, arum, vel muſtax, cis. Locus ille ſub nare, vbi pili quaſi duas alas efficiunt.
Homo bene barbatus. Homo ſpiſſam habens barbam.
Barbatulus homo. Diminutivum.
Ænobarbus, bi: vel Ahenobarbus, bi. Homo barba flavus.
Homo imberbis, vel imberbus, bi: vel inveſtis, tis. Homo ſine barba.
Puber, ris. Qui incipit barbam habere.
Barba impexa, vel inculta, vel inornata. Barba inculta.
Barba immiſsa, vel prolixa, vel propexa, vel promiſsa in pectus. Barba prolixa, ſeu longa.
Barba hirſuta. Barba aſpera.

Bar-

Barba situ nidoris horrida. Barba impolita, seu scalida.

Barba hirquina, vel hircina. Barba caprina.

Mulcere, vel deducere barbam. Barbam attrectare.

Barbam sollicitare. Barbam multoties acuere, vt crescat.

Barbam peregrina ratione figurare. Barbam comere novo more.

Ponere barbam, vel abradere, vel resecare, vel attondere. Novaculâ barbam è mento abradere.

Barbam pascere. Barbam nutrire, sive alere.

Barbam promittere. Barbam prolixam gestare.

Homo barbâ in cunei speciem effictа, vel cuneibarbus. Homo acutam habens barbam.

Mustax hinc inde in mucronem acuminatus. Homo pilos habens acutos sub naribus in cunei speciem.

Barba Cymica. Barba longa.

Barba reorum. Barba inornata, sive incomposita.

Barbam alicui vellere. Illudere aliquem.

Pronumi barba. Barba nimis prolixa.

Mentum, ti. Pars illa vbi barba nascitur.

Incanum mentum. Mentum sine barba.

Mento summam aquam attingit. Vnde barbam superat.

Nutanti mento pectus percutere. Caput huc illuc movere.

Mentum intorquere. Mentum in vtramque partem advertere.

CA-

CAPVT XVII.

De Vultu.

V*Vltus, tus, tui: ſive vultum*. Vultus, ſive geſtus vultus.

Vulticulus, li. Torvus vultus.

Os, oris, vel facies, ei. Facies, ſive oris prẹſentia

Homo vultuoſus. Homo vultu torvus.

Gelaſinus, ni. Nota vultus.

Facies cadaveroſa. Vultus fœdiſſimus.

Aliquem de facie noſce. Agnoſcere aliquem ex vultus aſpectu, vt aiunt.

Os alicui ſublinere. Adulare aliquem.

Vertere ſe in omnes faces. Omnia media quærere.

Alicuius vultum ad vivum referre, vel mirâ ſimilitudine, exſcribere. Aſsimilari alicui in vultus imagine.

Vultum ad lætitiam componere. Lætitiam in vultu exprimere.

Vultum ceruſſa & purpuriſſo fucare. Faciem dealbare.

Vultus exercitatus. Vultus palidus.

Vultus Socraticus. Vultus in eodem ſemper ſtatu.

Vultu invito, vel malis alienis ridere. Ridere ſimulando dolorem.

Æthiopem è vultu iudicare. E vultu aliquem iudicare.

Nihil difert à Cherophonte. Eſt homo vultu pallidus.

Vultu ſæpe læditur pietas. Parentes vel ipſo oris geſtu læduntur.

Vultus tacitus quidam mentis ſermo eſt. In vultu legitur quidquid corde latet.

Gena, næ. Facies vultus.

Bucca, cæ: vel mala, læ. Vultus mala.

Bucco, onis: vel homo bucculentus: vel homo buccis tumentibus. Homo malas habens prominentes.

Quicquid in buccam venerit. Loqui inconſideratè.

Vtramque buccam inflare. Iraſci.

Alicuius vultum ſublitionibus pingere, vel fuligine madidâ oblinire, vel tingere, vel perfricare. Denigrare alicuius vultus.

CAPVT XVIII.

De Vultu, vſque ad manus.

Collum, li: vel collus, li. Significat collum. *Cervix, cis. vel cervicula, læ*. Pars poſterior colli: quæ ab occipitio incipit, & tendit ad ſpinam.

Tonſillæ, arum: vel amigdalæ, arum. Extremæ faucium partes circa radicem linguæ.

Æſophagus, gi. Pars inferior gutturis.

Iugulum, li : vel iugulus, li : vel anticardium, dij. Pars colli anterior in qua aſpera arteria cernitur eminere.

Guttur, ris: vel canna pulmonis: vel aſpera arteria, vel animæ cannalis. Guttur ſive aſpera arteria.

Liſæ, arum. Venæ maiores gutturis.

Gula, æ. Fiſtula colli interior conſtans ex carne & nervo per quam cibus, & potus, in ventriculum defluit.

Fauces faucium, vel frumen, minis. Pars gulæ ſuperior.

Clavicula, læ. Dicitur os gutturis.

Collum exile. Collus gracilis.

Collum procerum. Collum oblongum.

Collum candidum, vel lacteum, vel eburneum, vel niveum. Collum candidiſsimum.

Famulare iugum nobili collo ſubire. De nobilitate in ſervitutem venire.

Pendulum ab arbore collum lædere. Laqueo ex arbore ſuſpendi.

Collum acclinare, vel admovere. Reclinare collũ.

Collum alicuius lacertis adducere, vel collum amplexu petere, vel brachia collo circumdare. Brachia circum colla alicui dare.

Collum alicui angere. Stringere collum alicui, ſive laqueo alicui collum rumpere.

Alicuius collum in vincula inducere, vel conijcere, vel collum laqueis implicare, vel collum in laqueum inſerere, vel collo vincula intendere. Laqueum alicuius collo inijcere.

Col-

Collum iugo eripere. Libertatem adipiſci.
Obſtricto, vel obtorto collo aliquem in malam crucē abducere. Trahere aliquem collo.
Aliquem collo ſuſpendere, vel collo aliquem ſubire. Portare aliquem collo impoſitum.
Collum ſubmittere. Offerre collum ad ictum.
Homo opimis cervicibus. Homo magnæ cervicis.
Dubia cervice laborare. Habere collum motu facile.
Cervices obijcere ſecuri, vel cervicibus ſecurim tingere. Enecari permittere.
Nefaria crudelitate cervices dare. Emori inter crudeles manus.
Aliquem à cervicibus depellere. Alicuius gubernium recuſare.
Sceleris pœnam cervicibus ſuſtinere. Crimen ſolvere collum ſubmittendo.
Cervices præſidio tutari. Defendere vitam.
Hoc meis cervicibus impendit. Timeo hoc periculum.
Bellum in cervicibus eſt. Bellum in limine eſt.
In cervicibus alicuius eſſe. Eſſe alicui adverſo fronte.
Homo contentâ cervice. Homo cervice erectâ.
Homo tumidis cervicibus. Homo ſuperbia inflatus.
Homo magnis cervicibus. Homo magnis viribus.
Homo infracta cerviculâ. Homo conditione durus.
Nondum incurvam cervicem Iuppiter habet.

Esto bono animo, Deus ecce Deus.

Dare iugulum. Victus cedere.

Petere iugulum. Convincere aliquem argumentis, siue vrgere aliquem rationibus.

Iugulo telum intendere. Minari alicui mortem.

Ostentare iugulum pro capite alicuius. Mortem pro aliquo pati.

Iugulum ferire. Necare.

Porrecto iugulo aliquid audire. Audire cum attentione.

Suis verbis, vel suo sibi gladio, aut telo aliquem iugulare. Aliquem suismet rationibus conuincere.

Plumbeo gladio aliquem iugulare. Conuincere aliquem argumentis futilibus.

Meæ arescunt fauces. Iugulum siccum habeo.

Immani hiatu fauces diducere. Aperire fauces nimium.


Elidere, vel oblidere fauces alicui. Fauces alicui comminuere.

Ruere in fauces alicuius. Irruere in fauces alicuius.

Laqueo fauces frangere, vel præstringere. Laqueo alicui collum adstringere.

Faucibus premi. Esse in angustijs.

Faucibus teneri. Raucos edere sonos.



CA-

CAPVT XIX.

De reliquis Hominis partibus.

COr, cordis.
Præcordia, orum. Dicuntur propriè partes laterales nothis coſtis ſubiectæ, hepati, & lieni ſuperiacentes.
Stomacus, ci: ſeu Ventriculus, li.
Vmbellicus, vmbellici.
Viſcera, orum. Exta, orum.
Iecur, oris. Hepar, hepatis.
Fel, lis.
Plen, plenis.
Lien, lienis.
Ren, renis.
Inteſtina, orum.
Alvus, alvi.
Venter, ventris.
Venter collativus. Dicitur de magno, & turgido ventre, quia in eum omnia edulia congeruntur. Teſte *Plauto in Carcul.*
Latus, lateris.
Coſta, coſtæ.
Lumbus, lumbi.
Dorſum, dorſi:
Terga, tergorum.
Ala, alæ: vel Axilla, llæ. Dicitur locus conca-

vus ſubter brachium , vbi naſcuntur pili .

Tergus tergoris . Dicitur pellis coſtarum .

Humerus , humeri , vel Scapulæ, arum . Propriè dicuntur duo illa oſſa in poſteriore corporis parte tumeſcentia, quæ humerorum capita excipiunt .

Brachium, brachij .

Cubitus, cubiti .

Pulſus, pulſus, ui .

Lacertus, *lacerti*.

Manus, manus, nui : vel Palma, æ.

Præſegmen, nis: vel reſegmen, nis . Dicitur vngis circumabciſio .

Vnguis, vnguis .

Dextera, dexteræ .

Siniſtra, *ſiniſtræ* .

Vola, volæ , Dicitur pars cava manus, vel pedis.

Pugnus, pugni .

Digitus, ti .

Digitus auricularis , vel minimus .

Digitus anularis .

Digitus medicus, vel verpus . A verrendo dicitur impudicus, & infamis : Vnde quando porrigebatur ſignum deriſionis , & contumeliæ erat .

Digitus index, vel ſalutaris apud Veteres .

Pollex , pollicis .

Articulus, culi : vel condylus, li . Dicuntur digitorum nodi, ac iuncturæ .

Liniamentum, ti. Dicuntur lineæ in manibus apparentes .

In-

Inguen, inguinis.
Crus, cruris.
Femen, feminis: vel fæmur, oris. A ferendo dicitur.
Sura, suræ. Significat posteriorem partẽ cruris crassiorem.
Tibia, tibiæ. Significat anteriorem partem cruris, suræ oppositam.
Genu, genu. Indeclinabile.
Talus, tali. Os illud pedis prominentius.
Pes, pedis: vel planta, plantæ.
Calx, calcis.
Pedis convexum. Dicitur pars pedis superior.
Vestigium, vestigij.
Taletrum, taletri: vel Talitrum, tri. Dicitur crepitus ille qui in nodis digitorum fieri solet.

Partes obscenæ.

Vescica, vescicæ.
Mentula, mentulæ.
Penis, penis.
Inguen, inguinis.
Veretum, ti.
Testiculus, testiculi. Hæc genitalia significant.
Podex, podicis. Anus, ani. Significant opposita.



DE PRÆPOSITIONIBVS PECVLIARES DICENDI FORMVLÆ.

De Præpositionibus A, vel Ab.

A *Reo dicere*. Dicere in favorem alicuius:
Esse alicui ab studijs. Habere curam studij alicuius.
Esse â rationibus. Habere curam rationum.
Esse â foribus. Ostiarij officium exercere.
Esse â pedibus, sive ad pedes. Pedes herum comitari.
Esse â pugione. Ephebus regius.
A manu, sive ad manum, vel â manuense esse. Secretarius.
A morbo valere. Ab infirmitate convalescere.
Ab animo ægrum esse. Affligi aliqua pænâ.
Ab animo ociosum esse, Agere ocium.
Ab ingenio improbum esse. Homo improbus.
Dolère ab oculis. Oculorum dolore teneri.
A Iudice venire. Redire è domo Iudicis.
A prandio. Post prandium.
A cæna. Post cænam.
A primo proximum esse. Esse in loco secundus.

De Præpositione Ad.

Ad exercitum manere decrevit. Statuit manere in exercitu.

Ta-

Talenta ad quindecim cogere. Acquirere adiungendo talenta ad vſque quindecim.

Nihil ad hunc iuvenem. Nullus hoc melior.

Ad nullas preces flectitur. Nullis flectitur lacrymis.

Ad multam noctem. Vſque ad intempeſtivam noctem.

Ad Cyathos ſtare. Servire à poculis.

Ad pedes deſilire. Ab equo deſcendere.

Ad verbum. Quin vllum deſit verbum.

Ad Dianæ ire. Adire Templum Dianæ.

De Præpoſitione Apud.

Apud Petrum domi eſt. Eſt in domo Petri.

Apud nos eſt. Eſt in domo mea.

Apud ſe ruri eſt. Commoratur in agris.

Apud Franciſci. Manet in domo Franciſci.

De Præpoſitionibus Cis, vel Citra.

Cis naturæ leges. Minus quam naturæ leges permittunt.

Citra Senatus authoritatem. Abſque licentia Senatus.

Citra calendas Octobris. Ante primam diem Octobris.

De Præpoſitione De.

De Petro multum te amo. Propter Petrum te amo.

Non

Non bonus est somnus homini de prandio. Nocet post prandium dormire.

ADVERTENTIA.

Hæc propositio De posponitur elegantiùs suo casui: *Cic. pro Lege Man.* Quo de nunc agimus.

Mederga pro me erga veteres vti consuevere.

De Præpositione E, vel Ex.

Ex Platonis sententia. Secundum Platonis sententiam.

E pedibus laborare. Ægrotare pedibus.

E Repub. Propter Rempub.

De Præpositione In.

In lucem. Donec dies clarescat.

Aliquem in os laudare. Laudare aliquem illo præsente.

In manu est. Hoc est facile.

In manum dare. Donare aliquid furtim.

In mentem mihi venit illius temporis. Illius ætatis recordor.

In ordinem redactus est. Ab omnibus est abiectus.

In spem venit. Incipit sperare.

In tempore, vel in loco. Opportuno tempore.

De Præpositionibus Intra, & Extra.

Hoc intra famam illius est. Hoc illius famæ magnitudini respondet.

Extra

Extra vnum te. Excepto te.
Extra iocum. Seriò.
Extra ordinem. Insigniter.

De Præpositione Inter.

Inter cænam. Dum cænarem.
Inter diligere. Mutua inter se dilectione amari.
Venire inter aliquos. Venire in locum vbi aliqui confabulantur.

De Præpositione Iuxta.

Iuxta Ciceronem doctissimus est: *Post illum N. hic est sapientior.*

De Adverbio Ne.

Ne vivam. Ne sim salvus. Non vivam.

De Dictione Næ.

Næ ob oculos mihi caligo est. Certè nihil iam video.

De Præpositione Per.

Per ætatem. Ita permittente ætate.
Per bonam gratiam abire ab aliquo. Discedere ab aliquo satis contentus.
Per iocum, vel per ludum, vel per ludricum. Illudendo.
Per tempus advenire. Venire opportunâ occasione.

De

De Præpositione Præ, & præter.

Præ me vno. Me excepto.
Præquàm quod molestum est. Hoc ad animam vsque penetravit.
Præter civium morem. Contra civium mores.
Præter modum. Supra modum.

De Præpositione Secundùm.

Truculentum vulnus accepit in capite secundum aurem. Vulnerarunt illum.
Secundum littus, vel oram. Secus littus.
Secundum causam nostram. In favorem.
Secundum quietem. Dum quiescerem.

De Præpositione Vsque.

Aliquem vsque verberare. Flagellare aliquem multoties.
Benè vsque valere. Bona semper valetudine esse.
Vsque ad Pompeium, Pompeio excepto.

De Adverbio Vt.

Vt nunc sunt mores. Secundum hunc morem.
Vt illum Dij perdant! Oh vtinam pereat!
Vt vales? Quomodo vales?
Vt blandissimè potest. Quam lentè potest.
Dies hic mihi vt satis sit vereo ad agendum. Dubito hæc dies sufficiat ad agendum.

Præcipuæ, & neceſſariæ in latinum ſermonem animadverſiones.

De Adverbio Amplius.

HOc adverbium & ſi comparativum ſit, tamen eo vſi ſunt veteres cum accuſativo, ac nominativo, abſque coniunctione quàm. *Cic. pro Roſc.* Quomodo, amplius ſunt ſex menſes. *Livius de Bello Punico*. Amplius populi fuerunt centum viginti. *Senec. in Adverbijs*. Plus, & Minus. *Livius de Bello Macedonico*. Aberat acies eorũ paulò plus quingentos paſſus. *Cicero in Verr.* Senatores triginta non minus adeſſent.

De Dictionibus.

Accipere literas eodem exemplo. Idem eſt, atque eiuſdem tenoris, vel duplicatas literas accipere. *Cic. Plan.* Binas à te accepi literas eodem exemplo.

Abeſse bidui. Subaudito ſpatio. *Cic.* A quibus aberam bidui.

Quid abeſt huic homini. Modus elegantior eſt, quàm dicere: quod deficit huic homini *Cic. de Orat.* Quid huic abeſſe poterit de maxima rerum ſcientia.

Amat

Amat vt cum maximè. Ideſt, amat ſicut vnquã magis. *Ex Teren. in Hecid,*

Benè magnus, benè longus, benè mane. Sunt apud *Cicer. pro Mur.* Obviam idem cum benè magna caterva ſua venit. *Idem de Orat.* Habetis ſermonem benè longum. Et in alio. Literas dedi benè mane.

Cavere in curſu. Ideſt, exequitâ laude fruſtrari. *Ex Cic. de Claris Orat.*

Cauſa cavere. Ideſt, vinci, aut condemnari in iudicio, vel ammittere litem. *Ex Cicer. pro Mur.*

Caput Scenæ. Idem eſt, atque quod alio modo dicitur Proemium Scenæ, hoc eſt Initium. *Ex Cic. Ex Tuſcul.*

Conſcendere. Peculiare navigationis eſt, & dicitur abſolutè. A *Cic. lib. 2. Epiſt. 5. ad Quintum Fratrem*. Velim bona, & certâ tempeſtate conſcendas.

A multis domus noſtra celebratur. Hoc eſt frequentatur. Apud *Cic. pro Mur.*

Cæli, & Loci gravitas. Ideſt, quod vulgo dicitur malus aer. *Cic. ad Atticum*. Iam enim corpore vix ſuſtineo gravitatem cæli huius.

Eſt quod, nihil eſt quod. Idem ſignificat atque Opus eſt, non eſt opus. Oportet, non oportet. *Plaut. in Aulul.* Eſt quod viſam domum. *Cic. in Torquat.* Nihil eſt quod pro malis têporum moleſtè feras.

Fraudi eſt hoc. Idem eſt, atque nocet hæc res:

Ex

Ex *Cicero pro Rosc.* A*mer.*

Ferire frontem. Idem efficit, ac animo affligi & intemperanter indignari.

Fronte verâ aliquid dicere. Hoc est, absque fuco, & simulatione.

Facere nomen. Significat idem, ac Debitorem se constituere. *Ex Cic. 3. Offic.*

Nomen dissolvere. Est debito satisfacere.

Habeo dicere, vel polliceri. Elegans dicendi modus. & apud *Plaut. in Perc.* & *Cic. pro Cornelio Balbo.*

Homo antiquus. Idest minimè callidus, probo simplicique ingenio: quales extitere antiqui: *Ex Cic. pro Rosc.* A*mer.*

Pro iure meo: pro meo arbitratu. Idest, pro meo modo, ad voluntatem meam, ad beneplacitum. Ex *Cic in Prat. & alibi.*

In Telluris. Scita loquendi formula, subauditurque templo. Ex *Cic. ad* A*tticum.*

A*d diem,* A*d* A*nnum.* Hoc est, ad persixum diem, ad perfixum annum. Ex *Cic. in Verr.*

In militem: In capita: In naves. Id est, pro quolibet milite: pro singulis capitibus: aut navibus. Ex *Cic. in Verr. Cæsare, & Livio.*

Lis contesta. Id est, instituta: cum scilicet Prætor iudicium dedit. Ex *Cic. pro Rosc. Com.*

Latinè loqui. Est apertè, & clarè loqui. Ex *Cic. in Philipp.*

Licet tibi in mores meos. Idest tu noces moribus meis. Ex *Plin. Iunior. lib. 7. Epist.*

Per

Per manus. Eſt quod vulgo dicitur, de manu, in manum. Ex *Livio*.

Sub manu. Id eſt, expeditum, & promptum ad vſum eſt.

Succedere ſub manus. Id eſt, bene & ad optatum finem contingere. Ex *Plaut. in Mil.*

Præ manu dare. Hoc eſt, quod vulgo dicimus ante dare. Ex *Terent. in Adel.*

Plena manu. Id eſt, abundè, & affluenter.

Suſpenſa manu aliquid commendare. Id eſt, remiſsè. Ex *Plin. Iunior.*

Meo nomine: *Reipub. nomine*. Idem eſt, atque causâ meâ: Reipublicæ causâ. Ex *Cic. ad Terent.*

Maximè omnium: *Minimè omnium*. Id eſt, pluſquam omnes: Minus quam omnes. Ex *Cic. in Brut.*

Mihi aqua hæret. Id eſt, difficultatem ſentio cõtra morem in re facili. Ex *Cic. ad Attic.*

Poſt hominum memoriam: *Poſt homines natos*: *Noſtra memoria*: *Patrũ memoria*. Id eſt ab hominum recordatione: Noſtro tempore: Patrum tempore.

Meis verbis illi ſalutem nuntia, vel dic: *Voca meis verbis*. Id eſt ex parte meâ ſaluta illum: Voca illum. Ex *Plaut. & Eraſm.*

M*agnum modum agri alicui relinquere*. Hoc eſt magnam menſuram agri relinquere. Ex *Cic. & Plaut.*

M*agnus numerus frumenti*. Ideſt magna quantitas

titas, vt vulgò dicitur. Ex *Cic pro Planc.*

Aliquid modicè dicere. Id eſt modeſtè. Ex *Cic. contra Rutil.*

Mori per ſapientiam. Id eſt, phreneſi mori. Ex *Plin. Senec. & alijs.*

Nuncupare lingua. Eſt declarare, & exprimere vitium rei, quæ venum exponitur. *Cic. in Officijs.*

Nemo homo: vel Nemo vnus, Id eſt, nemo omnino: vſque ad vnum. Ex *Cic. & Livio.*

Ne multa, Ne plura. Breviùs, & elegantius dicitur, pro Ne multa dicam: Ne plura dicam.

Num vis? Intelligitur ire: *Cic. ad Quint. Fratr.* Rogavit nunquid in Sardineam vellem?



PECVLIARES SALVTANDI FORMVLÆ EX DESIDERIO ERASMO.

Antiloquium.

NON temerè docet quidam vt ſalutemus libenter. Comis enim & blanda ſalutatio ſæpe conciliat amicitiam, inimicitiam diluit: certè mutuam benevolentiam alit augetque. Quidam vſque adeo Demeæ ſunt, ingenioque agreſti, vt vix ſalutati reſalutent. Nonnullis hoc vitij conciliavit educatio veriùs, quam natura. Vrbanitatis eſt, ſalutare obvios, aut eos, qui nos adeunt, aut quos adimus ipſi colloquendi gratia; item operis aliquid agentes: cœnantes, oſcitantes, ſingultientes, ſternutantes, & tuſſientes. Quapropter non abs re duxi communes ſalutandi formulas adijcere, indignum enim eſt inter cives eſſe, & vrbanitatis non habere ſaltem vulgariores congreſſus.

Sa-

Salutationes in primo congreſſu.

Quomodo ſint Parentes, & Amici ſalutandi.

Salve Pater. Salve Matercula. Salve mi frater. Salve Præceptor obſervande. Salve multum mi Patrue. Salve dulciſſime Nepos. Salve Præfecte. Salve Tribune. Salve Adoleſcens. Salve Iuvenis. (Non tamen ſalve caligarie; nec ſalve calcearie.) Senes ignotos adoleſcentulos filiorum cognomento debent ſalutare; adoleſcentes viciſſim illos patres, aut dominos.

Blandior ſalutatio inter Amantes.

Salve mea Flora. Salve mea vita. Salve mea lux. Salve meum delitium. Salve meum deſiderium. Salve meum ſuavium. Salve mel meum. Salve mea voluptas vnica. Salve meum corculum. Salve mea ſpes. Salve meum ſolatium. Salve meum decus.

Salutatio honoris gratia.

Salve here. Salve tu quoque bone vir.
Salve vir ornatiſſime, clariſſime.
Salve multum virtutis omnis antiſtes.
Salve etiam atque etiam literarum decus.

Salue plurimum amicorum optime.
Salue mi Mœcenas.
Salue patrone ſingularis.
Salue vir ſpectatiſsime.
Salue vnicum huius ætatis ornamentum.
Salue Luſitaniæ delicium.
Salue tantundem totius probitatis exemplar.
Saluete, quotquot eſtis vnâ ſalute omnes.
Saluete pariter omnes.

Salutatio ad irriſionem.

Salue congerro lepidiſſime.
Saluete belli homunculi.
Salue vini pernicies.
Salue gurges, helluoque placentarum.
Salue anicula annos nata quindecim.
Salue puella annorum octoginta, bene ſit tibi cum tuo caluitio.

Reſponſio eidem.

Et tu ſalue in æternum; benè ſit tibi cum lacero naſo.
Vt ſalutaris, ita reſalutaberis; ſi mala dixeris, peius audies.
Salue quantum mereris: Salvere me iubes, quid ſi nolim? Equidem ægrotare malim, quam tua ſalute ſalvere.

Infrapositæ salutationes magis vulgo receptæ sunt, quam probatæ doctis.

Salua sit tua Sanctitas.
Salua sit tua Amplitudo.
Salua sit tua Celsitudo.
Salua sit tua Maiestas.
Salua sit tua Beatitudo.
Salua sit tua Sublimitas.
Salua sit tua Eminentia.

Salutatio in tertia persona.

Lydius Cornelio tuo salutem dicit.
Lydius Beatum suum plurima salute impertit.
Saluus sis Crito.
Benè tibi sit vir optime.
Pax tibi frater.
Aue præceptor, licet malis habere quam Auère.

Bene precandi formulæ, & bene precari salutationis genus est.

Salutatio Gravidæ.

Faxit Deus, vt feliciter parias.
Faxit Deus vt maritum pulchra prole facias parentem.
Precor, vt hic tumor vteri feliciter subsidat.
Velit Deus vt non maiore molestia elabatur, quam illapsum est.

Quidquid est hoc oneris quod gestas, donet tibi Deus felix puerperium.

Salutatio convivis.

Sit felix convivium.
Bene sit vniverso cætui.
Precor omnia læta vobis omnibus.
Deus benè fortunet vestrum convivium.

Salutatio sternutanti.

Sit faustum, ac felix.
Servet te Deus.
Sit salutiferum.
Bene vertat Deus.

Salutatio auspicanti quippiam.

Sit felix & faustum Reipub.
Bono sit omnibus, quod instituis.
Bene vertat quod agis; fortunet Deus tuos labores.
Faveat numen tuis conatibus.
Quæso, vt quod instituisti cælitibus benè fortunantibus, feliciter absolvas.
Bene fortunet Christus Optimus Maximus, quod in manibus est.
Feliciter cedat, quod instituisti.
Feliciter exeat, quod aggressus es.
Rem sanctam aggressus es, precor vt felix sit exitus, ac prosperum numen aspiret pulcherrimis cæptis.

Chri-

Chriſtus bene cœpta ſecundet.

Proſperè ſuccedat, quod auſpicatus es.

Deum Optimum Maximum precor, vt iſtud conſilium, quam ſit honeſtũ, tam ſit& felix.

Bonis avibus cœpta res, melioribus exeat.

Precor, vt bonis avibus Italiam adeas, melioribus Luſitaniam redeas.

Opto tibi felicem curſum, & recurſum feliciorē.

Faxit Deus, vt itinere hoc feliciter peracto, brevi tibi proſperum reditum gratulemur.

Contingat tibi feliciter, & navigare, & renavigare.

Sit iter lætum, reditus lætior.

Vtinam iſta profectio tibi ſuccedat ex animi tui ſententia.

Vtinam tibi tam iucunda ſit iſta profectio, quã nobis erit interim moleſtum tui deſiderium.

Bonis auſpicijs ſolvas anchoram.

Precor, vt ex vtriuſque votis ſuccedat hoc iter.

Precor, vt hic contractus commodo, bonoque ſit vtriuſque.

Precor, vt hoc matrimonium voluptati ſit omnibus nobis.

Soſpitet te Ieſus Opt. Max.

Cæli propitij te nobis incolumen reſtituant.

Servet te Deus, animæ dimidium meæ.

Opto tibi reditum incolumen.

Precor, vt hic annus tibi lætis auſpicijs ineat, lætioribus procedat, lætiſſimis exeat, ac ſæpius recurrat ſemper felicior.

Responsio ijsdem.

Ego vicissim tibi multa sæcula felicissima precor, ne tu gratis sis nobis benè precatus.
Precor vt hic dies tibi candidus illuxerit.
Precor vt hic sol tibi felix surrexerit.
Tantundem tibi reprecor.
Sit felix exortus huius diei, & sit vtrique nostrum prosperrimus.

Salutatio bene precandi felices noctes.

Opto tibi noctem prosperam amice.
Precor tibi noctem placidam.
Contingat tibi felix somnus.
Det tibi Deus placidam quietem.
Det Deus somnum absque somnijs.
Faxit Deus, vt aut placidè dormias, aut feliciter somnies.
Sit tibi fausta nox.

Reciproca salutatio ijdem.

At ego tibi, quãdo gaudere soles lucro, pro vnâ faustâ, mille precor faustissimas noctes.

Vale in digressu.

Valete omnes.
Bene vale.
Cura vt quam rectissimè valeas.
Valetudinem tuam cura diligenter.
Iubeo te bene valere.

Iam

Iam me tempus aliò vocat, tu valebis.
Valeto quam optimè.
Vale Pancraticè, aut si mavis athleticè.
Vale vt dignus es.
Vale vt meritus.
In hoc biduum valebis.
Si me dimittis valebis in crastinum; Nunquid vis? est aliud quod me velis? nihil, nisi vt prosperè valeas optarem.
Da operam vt sis prosperâ valetudine.
Age curam valetudinis tuæ.
Habe curam salutis tuæ.
Fac vt proximo congressu te lætum, ac nitidū videamus.
Iubeo te curare cuticulam.
Cura, vt mens sit sana in corpore sano.
Da operam vt totus valeas, tum corpore, tum animo.

Respondendi affectus.

Dabitur quidem opera.
Valebis tu quoque.
Tibi vicissim precor prosperam valetudinem.

Salutare per alium.

Alexandrum iubebis meo nomine, salvere plurimum.
Antoniolum itē meâ causâ salutabis diligēter.
Tum Matri Brigittæ quam potes officiosissime ex me salutem dicito.

Dic

Dic me omnibus omnia læta precari.

Salutabis mihi sodalitatem diligenter.

Amicos omnes meis verbis salutato.

Præceptori salutem ex me annunciabis.

Fratri tuo in litteris tuis meo nomine salutem adscribes.

Mei vice salutabis affinem meum.

Nunquid tuis mandas per me? Vt rectè valeant.

Multam salutem omnibus, sed præcipuè Tellio meo.

Omnibus, qui de me percontabuntur, salutem quam mihi ab ipsis attulisti ijsdem multò cũ fœnore referes.

Quorum nomine mihi salutẽ attulisti, hos omnes meâ gratiâ vicissim salutabis accuratè.

In amicis salutandis sis quæso mihi vicarius.

Salutassem Aristo-Telem meum per literas, sed tu mihi apud illum epistolæ vice fueris.

Est quod tibi mandem, quoniam pediti non convenit sarcina, vt Theodosium, Alfonsum, Tiburtium, Alexim, totumque chorum trilinguem mihi salutes. At ne gratis istud facias, precor, vt tibi quoque eunti ac redeunti salus sit comes.

Reducem quomodo salutare oporteat.

Salvum te advenire gaudemus.

Sospitem adesse voluptati est.

Te nobis redditum esse, voluptati est.

Gratulamur tibi felicem reditum.

Gra-

Gratia cælitibus, quod nobis incolumis redieris.

Quò molestius fuit nobis tui desiderium, eò redditus conspectus tui iucundior est.

Gratulamur, & tibi, & nobis, quod vivus, ac valens nobis restitutus sis.

Eo reditus tuus est nobis iucundior, quo minus expectatus.

Responsio iisdem ab Amico reduce.

Ego vicissim lætor quod incolumis vos incolumes offenderim.

Quod te salvum repererim vehemẽter gaudeo.

Non viderer mihi redisse salvus, nisi vos salvos reperissem.

Nunc demum mihi videor sospes, cum vos incolumes, ac pulchrè valentes conspicio.

Lepida percontandi forma in primo congressu.

Ex quâ tandem corte, aut caueâ nobis ades sic malè saginatus? macie pelluces totus, ariditate crepitas.

Vnde prodis? Ades ne nobis onustus literis? pulchrè comitatus advenis? Agnosco sodalitium scholasticum.

Ecquid novarum rerum adfers è Collimbria.

Similis respondendi forma ad eumdem.

Illud imprimis quod scio videbitur incredibile;

le: Conimbricæ Beta ſapit, & Quercus concionatur.

Quod audis, hoc ego narro. Monſtri ſimile; illic fungos, & lapides auſcultantur, dum tales concionantur, nec audita loquor, ſed comperta. Rectè coniectabis illic plurimũ ſapere homines, ſi ſapit Beta, & Quercus.

Alia interrogandi Methodus.

Vales ne?

Non rogo, quid valeas; nam facies ipſa loquitur te velle valere; ſed quomodo tibi placeas.

Satin' rectè vales? ſalva ne res? Satin' ſalvæ res?

Fuiſti ne ſemper proſperâ valetudine?

Faxit Deus, vt iſtud ſit perpetuũ, ac proprium.

Oppidò lætor vt ad iſtum modum quam diutiſsimè valeas, tibi gratulor, mihi gaudeo, gratiam habeo ſuperum favoribus.

Reſpondendi ratio eidem.

Corpus quidem bene habet, ſed animo male eſt; at non valet, qui iſtac parte laborat.

Sic res habent meæ. Corpus valet, ſed ægrotat crumena, nec facilè iſti morbo medebitur medicus.

Sic valui, vt ſunt res mortalium: variè, & moleſtè.

Ego Dei beneficio perpetuò belliſsimè valui.

Semper proſperâ valetudine ſum vſus.

Hactenus bona valetudine fui. fauſta, proſperrima,

ma, incolumi, felici, ſecunda, integra, baſilica, athletica, pancratica.

Equidem pulchrè valeo, ſi tu valeas.

Nihil interim moleſtiæ fuit: Nihil, niſi quod veſtra conſuetudine frui non licuit.

Rectè valui, pulchre, belle, perbelle, belliſsime, perpulchre, feliciter, commode, minime male.

Valeo, vt volo potius, quam mereor: baſilicè, pancraticè, athleticè, & ſi lubet etiam tauricè.

Male valere.

Valeo ſed non admodum ex ſententia.

Equidem, vtcumque valeo.

Sic ſatis, valeo vt poſſum, quando vt volo non licet.

Valeo vt ſoleo, ita vt Deo viſum eſt. non optimè ſane, ſic vt antehac peius nunquam.

Valeo vt ſolitus ſum.

Valeo vt ſolent quibus cum medicis res eſt.

Secus quam vellem.

Valetudine ſum haud ſane commodâ, incommodâ, perquam incommoda, infelici, parû proſperâ, parum ſecundâ, malâ, adversâ, infauſtâ, imbecilli, dubiâ, mediocri, longe aliâ, quam vellem, tolerabili quam optem hoſtibus meis.

Fulciendus eſt animus ſpe fortunæ ſecundioris.

Ægro-

Ægrotanti interrogatio.

Quid morbi eſt? Quod mali genus eſt? quis te morbus habet? quo morbo teneris? quid habes morbi? Nam primus ad ſanitatem gradus eſt, noviſſe morbum.

Nullos ne conſuluiſti medicos? quid reſpondēt?

Quampridem habet te hoc mali? Diu eſt, quod teneris iſto morbo?

Quantum temporis eſt, quod te malum hoc corripuit?

Adnitendum cenſeo, ne morbus fiat familiaris.

Num es hydrops? num dyſenteria? nū febris?

Quoto die recurrit dolor?

Vnde contraxiſti morbum? Vnde ſuſpicaris hoc eſſe collectum mali? ex inedia? At non ſoles vſque adeo abſtinens eſſe, vt te vigilijs maceres.

Vide ne ex immodico, aut ex intempeſtivo ſtudio conciliaveris hoc mali, aut ex potatione largiore, aut venere parum moderata. Quin accerſis medicum? Diligendus eſt igitur, cui tuto fidas.

Fac, vt ipſe tibi ſis medicus: ſi diffidis homini medico, precor vt ſit tibi medici vice Deus: ſunt, qui tecti cucullâ Dominicali, aut Franciſcanâ reualuerunt. Fide igitur, vt reviviſcas. Alij morbo levati ſunt nuncupatis alicui Divo votis: Proinde tu vel à Chriſto Domino, cui debes ſidere, pete ſanitatis beneſicium;

ficium; licet nonnunquam mori felicius ſit, quam morbo liberari.

Bono eſſe animo oportet forti, infractoque Multum iuuat animus in re mala bonus.

Ægrotantis reſponſio.

Neſcio quo morbo tenear, & hoc laboro periculoſius.

Medici reſpondent id, quod Demiphoni apud Comicum: alius negat, alius ait, alius deliberandum cenſet; in hoc conſentiunt omnes, me miſerum eſſe.

Dies plus minus viginti: fermè menſis eſt; iam tertius eſt menſis; mihi quidem ſæculum videtur, quod ægrotare cœpi.

Iam nimium aſſuevit morbus.

Opinor febris eſſe ſpeciem, ſed novam, vt nunc novi ſubinde morbi exoriuntur, antehac incogniti: ita viſum eſt naturæ nimiū novercæ.

Quotidie, ſæpius quàm Euripus recurrit dolor

E frigore natum arbitror, è putribus ovis morbum ortum ſuſpicor. E vino plus ſatis diluto, è crudis malis contracta eſt ſtomachi cruditas.

Timeo, ne citius morbum augeat medicus, quā adimat; metuo ne pro remedio det venenum, ſi moriendum eſt, malo ſemel mori, quam tot pharmacis excarnificatus. A Deo nihil peto, niſi vt quod ſcit optimum eſſe, mihi largiatur.

In-

Interrogatio à Patria revertenti.

Fuit ne tibi hoc iter faustum, & commodum?
Pedes aduenis, an eques?
Quo in statu sunt res Lusitaniæ?
An magnæ bellorum minæ sunt? (Diuina prouidentia conueniebat sedari rerum humanarũ tempestates.)
Ista publica diuinitus curanda relinquamus.
Tuæ res quo tandem in statu sunt?
Quo pacto se res habent tuæ? num ex voto?
Satin'ex sententia? satin'salua omnia? satisne prospera omnia?
Nihil adhuc misit ille homo?
Spe alendus est animus: tamen hâc non saginatur venter. Qui rerum spe aluntur, pendent, non viuunt.
Nihil ne tibi ademptum est in via?
Quo nunc hinc abis?
Si domum, precor, vt illic offendas omnia læta.
Nihil interim extitit noui domi tuæ. Nihil nisi quod reperies auctam familiam; nam tua catula peperit tibi catulum absenti. Tua gallina peperit tibi ouum.

Responsio ab Amico reduce.

Fuit iter faustum sic satis, nisi quod nihil vsquã tutum est à latronibus.
Iter confeci partim pedestri more, partim vehiculo, partim equo, partim nauigio.

Quo

Quo in ſtatu ſint res Luſitanicæ, ſanè feliciſsimo; nullæ bellorum minæ ſunt. Quid mali allaturi ſint hoſtes, neſcio: certè Luſitani iam ipſi non dicendis malis affliguntur. Hæc prætermittamus, ius eſt in armis.

Noſtræ res manent in ſtatu optimo, felici, & ultra ſpem.

Amicus nihil adhuc miſit: promiſit quidem largiter, at ne teruncium quidem miſit.

Nihil nobis in via ademptum, cum nihil eſſet oneris in zona: nulla enim ſunt arma certiora adverſus latrones, ſed ego malim & onus, & periculum: Licuit mihi vacuo viatori totum iter canere, & eſurire.

Quod peperiſſet mea catula gratulor; bene nuncias, grata nuncias, ego tibi pro hoc nuncio polliceor Euangelium ſecundùm Matthæum. Ne ſperne munuſculum. Ætites eſt, qui gravidis admotus in nixu, maturat partum.

INTERROGATIO.

Cur non viſis?

Quid cauſæ eſt, quod tamdiu nos non inviſeris?

Quid rei eſt, quod nos tam raro viſis?

Quid accidit, quod tanto tempore nos non adieris?

Quare tam rarus es ſalutator?

Quid ſibi vult, quod nos tandiu non conveneris?

Quid obſtitit, quominus viſas nos frequentiùs?

Quid impedimento fuit, quominus iamdiu feceris nobis tui videndi copiam?

RESPONSIO.

Non licuit per occupationes.

Non licuit per otium, volui quidem, at non licuit mihi per mea negotia.

Hactenus non ſinebant mea negotia, vt te viſerem.

Non patiebantur vndæ negotiorum, quibus involvebar, vt te ſalutarem.

Occupatior fui, quam vt potuerim.

Tam varijs diſtringebar curis, vt non fuerit liberum adire ad te.

Vix ipſi mihi fuit copia mei: ſic me totum moleſta quædam negotia poſsidebant; negotijs meis imputabis, non mihi: non defuit voluntas, ſed vetuit neceſsitas.

Hactenus non vacauit, hactenus non contigit otium: hactenus non fuit vacuum, non licuit per valetudinem: non licuit per tempeſtatem. Tu nihil moraris iſtiuſmodi officia nimium vulgaria, amicitia noſtra firmior eſt, quàm vt ſit officijs iſtis vulgaribus alenda: ſatis crebro viſit, qui conſtanter amat.

Accipere Excuſationem.

Equidem accipio tuam excuſationem, ſed hâc lege, ne ſæpius vtaris: excuſatio tua iuſtior eſt quam vellem, ſiquidem valetudo fuit in cauſa. Hac

Hac lege mihi purgatus eris, si quod cessatum est, officio sarcias, si superiorem cessationem crebra visitatione compenses: malè sit istis curis, quæ te nobis adimunt. Quid imprecor istis negotijs, quæ talem amicum nobis invident? pessime sit isti febri, quæ nos tam graui desiderio torsit tui; malè pereat ista febris, te quidem incolumi.

Quomodo mandandi sint negotiorum effectus.

Quæso vt hæc res tibi cordi sit: etiàm atque etiam rogo, vt hoc negotium tibi sit curæ: hac in re velim, vt totum Sapidum exeras: si me amas, causam hanc tractabis diligēter: hac in re quæso, ut aduigiles.

Curabis hanc rem meâ causâ diligentèr: si vere is es, quem semper esse te mihi persuasi, fac vt sentiam hâc in causâ, quanti me facias.

Pollicendi animus explicatur.

Desine, ego tibi hoc effectum reddam, & quidem propediem. Euentum præstare non possum, illud polliceor, mihi nec fidem, nec studium defuturum. Curabo diligentius, quam si mea res ageretur: quamquam meam esse ducó, quæ sit amici.

Faciam, vt in me quidvis desideres citius, quā fidem ac diligentiam: Tu fac in vtramque dormias aurem, ego tibi hoc confectum

dabo, tu quietus esto, ad me recipio provinciam omnem : gaudeo mihi datam occasionem, quâ declarem animum in te meum.

Equidem oratione nihil polliceor, sed re præstabo, quidquid est amici sinceri, & ex animo benevolentis : nolim te lactare vanâ spe : illud efficiam, vt dicas hoc negotij mandatū amico.

Quomodo rerum successus sint exprimendi.

Res successit opinione melius : fortuna votis vtriusque favit : si fortuna tibi nupsisset, non potuisset esse obsequentior.

Res tua, & ventis, & amne secundo processit : vicit etiam vota nostra fortunæ faventis afflatus : opinor te litasse Rhamnusiæ, cui sic ex sententia cadunt omnia.

Plus impetravi, quam fuissem ausus optare ; ventis per omnia secundis hic cursus nobis peractus est.

Res omnis successit ex sententia : pulchrè nobis cecidit hæc alia : opinor volasse noctuā; adeo feliciter exijt nobis parum sapienter institutum.

Referre gratias.

Equidem gratiam & habeo, & habiturus sum, quod vivam maximam : pro isto tuo in me beneficio pares agere gratias vix possim; referre nequaquam.

Video

Video quantum debeam tuo in me ſtudio : nihil miror : neque enim tu quicquâm novi feciſti, & hoc magis debeo.

De iſtoc tuo in me officio amo te mi Ludovice, vt par eſt, maximè: Quod hac in cauſa præſtiteris amicum minimè aulicum, & habetur à me gratia, & ſemper habebitur: Quod meũ negotium tibi cordi fuerit, amo te, & habeo gratiam: iſtoc officio gratiam iniſti apud me maximam.

Pergratum eſt, quod cauſam meam egeris bonâ fide: ex omnibus officijs, quæ tu plurima in me contuliſti, hoc eſt longè gratiſſimum: Referre gratiam parem nequaquam poſſim, agere accuratiùs, inter nos ſupervacaneum ſit:quod vnum poſſim, habebo, dum vixero: Iſtoc beneficio fateor tibi me magnopere devinctum eſſe : hoc nomine plus tibi debeo, quam vt vnquam ſolvendo eſſe queam.

Hoc beneficio arctiùs me tibi devinxiſti, quam vt nomen meum è tuo diario poſſim vnquã expungere : Hoc officio me ſic tuum reddidiſti, vt nullum mancipium æque ſit in rebus heri ſui : hâc in re me tibi devinctiorẽ reddidiſti, quam vt vnquam æs alienum poſſim reſolvere.

Plurimis nominibus tibi debeo ; ſed non alia plus, quam hâc : pro mediocribus beneficijs agendæ ſunt gratiæ : hoc maius eſt, quam vt conveniat verbis gratias agere.

Responsio gratiam referenti.

Aufer mihi iſta; maior enim eſt noſtra neceſſitudo, quam vt vel tu mihi, vel ego tibi prō vllo officio debeam gratias agere; non contuli hoc in te beneficium, ſed retuli: mihi quidem abundè relatam gratiam arbitror, ſi gratum eſt, quod feci ſedulò, non eſt, cur mihi gratias agas, ſi, pro tuis in me beneficijs non vulgaribus, hoc officiolum rependi.

Equidem nihil laudis mereor, ingratiſſimus habendus, ſi defuiſſem amico: quicquid eſt in rebus meis, quicquid mea cura præſtari poteſt, hoc tam tuum eſſe ducito, quam id quod eſt maxime tuum: videor mihi beneficium accepiſſe, quod noſtrum officium boni conſulis.

Pro tantillo officio mihi tam accuratè gratias agis, quaſi non multò maiora tibi debeam: ſibi benefacit, qui benefacit amico: qui benè meretur de amico, non dat beneficium, ſed fœnerat: ſi ex animo probas officium in te meum, fac vtare ſæpius: ita credam tibi gratum eſſe, quod feci, ſi, quoties deſiderabis operam meam, non roges, ſed imperes, quod voles.

Herilis conclamatio ad famulum.

Heeus, heus furcifer iamdudũ raucesco clamore nec tu tamen expergisceris; videre mihi vel cum gliribus certare posse: at ocyus surge, aut ego tibi fuste somnum istum excutiam: quando crapulam hesternam edormieris? nõ pudet somnium hominis in multam lucem stertere? qui frugi sunt famuli, solent exortum Solis antevertere, curareque, vt herus surgẽs reperiat omnia parata: Intuemini quęso vt ægre divellitur à nido tepefacto cuculus? dum scalpit caput, dum distendit nervos, dum oscitat, tota abit hora. Vix dum credo tibi diluxit, nam tuis oculis adhuc multa nox est: tibi nox est adhuc excubia. Fac vt luceat foculus: verre pileum, ac pallium: exterge calceos, & crepidias: inversas caligas primùm intùs purga scopis, mox foris: deinde suffitum aliquem facito purgando aeri. Accende lucernam, muta mihi lineum indusium, ac ad ignem fumi expertem siccã lotum. Atqui move te ocyùs, iam hæc fecisse oportuit; video quod nihil promoves. Vt incedit testudo? Quid cessas asine? Tolle matulam, compone lecti stragulas, revolve cortinas, verre pavimentum, verre solùm cubiculi, adfer aquam lavandis manibus. Añus est priusquam accendas candelam; sic heri ignem condidisti: Quid ais cessator? an ego

te audio muſſitantem? precaris: credo Pater noſter inverſum: precationem opinor, dominicam præpoſterè. Quid ganis de imperio? Precare, vt tu fias homo ex caudice. Sequere me ad templum vſque, mox domum recurrito, lectos concinnato. Hæc confuſam, ſuo quæque loco digerito: fac vt niteat tota domus: matulam defricato: hæc ſordida dimoveto ab oculis: fortaſſis inviſent me quidam aulici: Si quid ſenſero prætermiſſum, vapulabis largiter. Non prandeo domi. Itaque ſub horam decimam ad me tranſcurrito, deducturus me eò, vbi ſum pranſurus. De prandio tuo, eſt panis: te quidem fœnum eſſe oportuit, ſi pabulum detur te dignum. An poſtulas, vt te aſinum tantùm placentis ſaginem. Si faſtidis panem citra obſonium, adde porrum, aut ſi mavis, cepe.

Reſponſio famuli ad Herum.

Me me adſum: vix dum diluxit: quid me iubes facere? Omnia ad voluptatem fient: moveo, agor, ſolicitor: quid vltra? non poſſum ſimul ſorbere, & flare: Vix reperio ſcintillam ignis: nec follem habeo. Me miſerum, quam imperioſum habeo dominum? vix huius iuſſis decem expediti famuli fecerint ſatis, At interim, ſupra hæc, de prandio nulla mentio: nemo fit eſuriendo ſatur: Eſt panis quidem, ſed ater & furfuracius: malo in

vltì-

vltimas terras exportari, quam famulare iugum nobili collo ſubire.

Quæ exequenda ſint à famulo, iubente hero.

Eſt tibi abeundum in forum: non ſunt niſi ſex paſſus, tibi pigro ſunt bis mille: conſulam autem tuæ pigritiæ: Eadem legatione multa conficies negotia: tu ſupputa in digitos vt memineris. Primùm deflectes ad veſtiariũ, ac thoracem vndulatum, ſi iam perfectus eſt, ab eo recipies. Hinc quæres Cornelium veredarium; is plerumque eſt in Cervo, ibi potitat; rogabis, ſi quid habet literarum ad me; & ad quem diem ſit profecturus: deinde cõvenies mercatorem pannarium; rogabis meis verbis, ne quid ſolicitus ſit, quod pecuniam non miſerim ad diem præſcriptum, numerabitur propediem. Rides ganeo? immo ante Calendas Martias. In reditu deflectes ad lævam, & ex bibliopolis diſces ſi quid advectum ſit novorum libellorum è Germaniâ. Cognoſce qui ſint, & quanti venales. Poſt hæc rogabis Goclenium, vt mihi dignetur eſſe conviva, alioqui cœnaturo ſoli. Proinde tu, confectis omnibus, abi ad macellum, & eme nobis armum ovillum: eum curabis diligenter aſſum. Audin' hæc? at vide vt memineris. Etiam hic ſtas ceſſator? iam rediјiſſe oportuit.

Fa-

Famuli mussitatio.

Est mihi abeundum in forum, tam procul? Quis possit vnus tot rebus obeundis sufficere? deduco, ac reduco: sum illi à scopis, à matula, à pedibus, à manibus, à poculis, à libellis, à rationibus, à iurgijs, à legationibus; Postremo nõ videor illi sat occupatus, nisi sim & coquus. Tandem convivas vocat, non habens domi, vnde vel murem pascat!

Equitaturo Domino
Quid famulus præparare debeat.

Equitandum est: profer ocreas; probè equidẽ abste curatæ, totæ albent situ: opinor nec extersas, nec vnctas hoc anno; adeo rigent præ siccitate: exterge subuvido panno, mox vnge ad ignem diligenter, ac macera, donec mollescant. Vbi calcaria? heu quam obducta rubigine.

Vbi frenum, & ephippia? vide ne quid desit, aut ne quid ruptum, aut mox rumpendum, ne quid nobis sit in mora, cum erimus in cursu. Propera ad sellarium, & hoc lorum cura sarciendum: reversus inspice soleas, sive calceos equorum, num qui clavi desint, aut vacillent. Quam, Proh in curia! macilenti sunt equi, quamque strigosi? Quoties abstergis aut pectis illos in anno? nimirum res ipsa loquitur: ieiunant? opinor, nonnunquam

totum

totum triduum: negas tu quidem; ſed aliud dicturi ſint equi, ſi loqui liceat: quamquam ſatis loquuntur ipſa macie: Cur igitur tu habitior equis? Hoc taudem reſtat; adorna manticam celeriter.

Prompti famuli celeritas in dictis heri parendis.

En adſum: ſunt ocreæ: ſunt calcaria: ſunt ephippia: omnia in promptu: equi ſtant: frena feroces ſpumantia mandunt: illos quotidie abſtergo, ac pecto: minimè ieiunant: curo ſedulò: Nihil aliud reſtat niſi equitare.

Monita Pædagogica in Ephebis educandis.

Ephebum ingenuum decent ingenui mores: ne videare non in aula natus, ſed in caula: Quoties alloquitur te quiſpiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis ſtatum: aperi caput: vultus ſit, nec triſtis, nec torvus, nec impudens, nec protervus, nec inſtabilis; ſed hilari modeſtiâ temperatus: oculi verecundi: ſemper intenti in eum, cui loqueris: in vultu tamen nunquam defixi, ſed modeſtè demiſsi: iuncti pedes: quietæ manus: nec vacilles alternis xibijs: nec ſint geſticuloſæ manus: nec mordeto labrum: nec ſcabito caput: nec fodito aures. Veſtis ita ad decorum cōpona-

ponatur, vt totus cultus, vultus, gestus, & habitus corporis, ingenuam modestiam, & verecundam indolem præseferat: istud tene, ne sis inepte loquax, aut præceps: nec vagetur animus interim, sed sis attentus quid ille dicat. Si quid erit respondendum, id facito paucis, ac prudenter, subinde præfatus honorem, nonnunquam, & addito cognomento honoris gratiâ, atque identidem modicè flectas alterum genu, præsertim vbi responsũ absolveris: nec abeas nisi præfatus veniam, aut ab ipso dimissus. Nunc age, specimen aliquod huius rei nobis præbe.

Quâ ratione discedendum ab aliquò nobis Superiore.

Discedendum erat Domine N. si id pace liceat tuâ: iam enim sex fermè menses absfui à maternis ædibus, nonnunquam tangor desiderio matris, cupio eam revisère.

Pædagogi advertentiæ in amicis salutandis.

Benè habet; pergito; cum loqueris cave ne præcipites sermonem, aut hæsites linguâ, aut palato immurmures; sed distinctè, clarè, articulatè consuescito proferre verba tua; Si quem præteribis natu grandem, Magistratũ, Sacerdotem, Doctorem, aut alioqui virum gravem, memento aperire caput, nec pigeat infle-

inflectere illud; idem facito, cum præteribis ædem sacram, aut imaginem crucis.

Quomodo in convivio habendi sint Ephebi.

In convivio sic te præbebis hilarem, vt semper memineris, quid deceat ætatem tuam; postremo omnium admoveto manũ patinæ. Si quid detur lautiùs, recusato modestè: si instabitur accipe, & age gratias; Mox decerpta portiuncula, quod reliquũ est, illi reddito, aut alicui proximè accumbenti; Si quis præbibet, hilariter illi bene precator; sed ipse bibito modicè: si non sitis, tamen admoveto cyathum labris: Arride loquentibus, ipse ne quid loquaris, nisi rogatus: Si quid obscæni dicitur, ne arride, sed compone vultum, quasi non intelligas: Ne cui obtrectato: ne cui temet anteponito: ne tua iactato: ne aliena despicito: Esto comis etiam erga tenuis fortunæ sodales, neminem deferto: ne sis linguâ futili: ita fiet, vt sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares. Si videris conuiuium esse prolixius, precatus ueniam, ac salutatis convivis, subducito te â mensa. Vide ut horum memineris: Addito nunc libros tuos, & perge feliciter.

FINIS.


MENSA SOLIS

AD THITOREA, ET HYAMPEVM

Genialibus ingenij Epulis comparata.

SIVE

OMNIGENA ERVDITIO.



PROŒMIVM AVSPICALE.



PLENDIDAM vtique mensam instruere visum est, vt prolixiorem in me colligerem gratiam, & benevolentiam Lectorum: hic siquidem hamus capit homines sæpius, quam pisces; & vel Elephantorum (Authore Stoico) feritatem vsque in servile obsequium demeretur cibus; Id quod etiam monent *Plautini Sales in Pænulo*.

Quem tu asservare rectè, ne aufugiat, voles,
Esca, atque potione vinciri decet;
Facilè asservabis, vt eo vinclo vincies,
Ita isthæc nimis lenta vincla sunt escaria;
Quàm magis intẽdas, tanto adstringunt arctiùs.

Solis Mensa nomen inductum, quia nullus vmbris locus est; proindeque Stellas ad Epularem accubationem invito, hoc est, convivas sui ingenij luce, & claritate in paucis spectatissimos. Præterquamquòd Omnigenę Eruditionis patinam vobis propinare cupiam, veteris fabellæ memor, quam sic præstringo.

Apud apricam, & vastam Æthiopiæ regionem, fallaces quondam Apollinis Mystæ nocturnis fraudibus terrenum elucubrabant epulum, simul hâc personâ *Mensa Solis*, Et postquam mensam immensam mirâ copiâ, & varietate ciborum extruxissent, primam ante lucem, suspenso, tacituque gradu recedebant: tunc Sole primum exorto, omnes eo indigenæ, atque advenæ confluere, discumbere, carpere, libare, sacrasque Epulas ab ovo, vsque ad mala, per summam religionem abligurire, quod eas non humano artificio paratas, sed Solis nascentis beneficio divinitùs è cælo exhibitas arbitrarentur, suâ magis credulitate saturi, quàm adipedum satietate.

Parem vobis mensam appono, vigiles inter lucer-

cernas elucubratam, omnibus Philosophiæ cupedijs, & lenocinijs instructam, ingenijque epulis eruditissimis refertam: adeo, vt merito in dubium veniat quid potissimum summendum sit, quidquid enim est in Eloquentia sublime, in Historia varium, in Panegyri elegans, in Fabula ingeniosum, in Epicis amænum, in Lyricis excultum, in Satyra salsum, in Epigrãmate acutum, in Comædis festiuum, in Tragædis sententiosum, ad manum simul, & ad delitium erit accumbentibus. Hæc omnia primæ & secundæ mensæ ferculis, vsque dum saties teneat, percipietis.

Mons vbi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus, superatq; cacumina nubes.

Primam siquidem in Thitoreis, Secundam in Hyãpeo promptis ingenij sumptibus extruemus. Tantæ genius, tutelaque Mensæ, non Hercules Epitrapezius, quem quondam, *Stat.4.Theb.*

— Pællæus habebat
Regnator lætis Numen venerabile mensis.

Non Iuppiter Xenius quem

— hospitibus, fertur, dare iura vocatis:

Sed Sol, vel Apollo Præsidium & dulce decus bonarum artium.

Intereà docta hæc (quando huc venistis amici)
Fercula, quæ differre nefas, libate faventes
Nobiscũ, & iam nunc Solari assuescite Mensæ.

Vel quia nihil sine magno labore vita dedit mortalibus, sudo iam & ridente cælo iter vobis est arripiendum. *Virg. 3. Georg.*

— qua nulla priorum
Castaliam molli diuertitur orbita clivo.

Suburbani otij, rusticanæque licentiæ voluptas iugi, quod insurgitis, asperitudinem levigabit.

Recessus in Thitorea.

AGendum, Deserendus vnicuique vestrum nidulus est, quia reclusis valvis, nitidissima se lux infundit. *Propert.*

— clarum iam mane fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas.

Parque est vt honestissimæ occupationi matutinas oras, ver diei, & florem temporis consecremus, Aurora Musis amica, earumque amantibus perutilis monet, vt dum vacat animus, dum à somno recens, & vegetum est

inge-

ingenium Succum literarum ſaporemque, haud indeligenter combibat. Veniat in mentem Demonſthenes, qui dolère ſe aiebat, ſi quando opificum antelucana virtus eſſet induſtria, proindeque plus olei, quàm vini conſumpſiſſe traditur. Hoc cauſæ eſt, cur Gallum galinaceum Mercurio Eloquentiæ Præſidi vetus Religio ſacrauerit, vt quem rumpendo ſomno, excitandiſque in opera mortalibus natura progignuerit, ne Solis ortum incautis pateretur obrrepere.

Quapropter ſedulis literarum cultoribus eam ſemper culcitram placuiſſe memini, quæ artus pungeret, & vellicaret, ne mollior cubitus ſomnum producetet; atque vna cum corpore, ſtudiorum fervor conſopitus langueſceret. Quin, & Alexandrum, dignum Ariſtotele diſcipulum, apprehenſo lapillo, pronâque manu, in ſubiectam pelvim, ſe quieti tradere ferunt, vt cum ſopor paulatim ſe effunderet in artus, fluentibus digitis pondus elaberetur, editoque ſtrepitu, ad repetendum Philoſophiæ ſtudium excitaret.

Nec refert, quod apud Troezenos (Authore Pauſania) ara extiterit, in qua Muſis ſimul, & Somno facerent: Muſis Deorum omnium amicum Somnum arbitrati; atque inde cubitum diſcedentes victimarum linguas Mercurio immolent: hoc enim enuere voluère, ſerotino tantum ſomno opus eſſe ſtudioſis, vt

defessum continuâ agitatione animum, novis vtique viribus reficerent.

Somno estis approbè irrigati, in multam diem stertistis, quæ Sole iam florido adolescit: Necesse est igitur expergisci, corripere è stratis corpora, excutere noctem ex oculis, nec quasi vespirtiliones obortam indignari lucem, neque hiantibus per somnolentiam labijs oscitare; aut brachia tanquam in cruce suffigendos distorquere. Ad Augusti Imperatoris Exemplum erubescite, qui in lectum transgressus non amplius, quum plurimum, quam septem horas dormiebat; aliter cavere oportet, ne vos glirum appellem nomine, perennem hyemem indormientium. *Teste Mart.*

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Vel Endymiones dicam; Endymion enim, vt inquit Cicero, si fabulas adire volumus, nescio quando in Satmo obdormivit, qui Mons est Cariæ, non dum opinor experrectus. Sed iam mihi dexter oculus salit, quia exertis, & inconhiventibus palpebris vos ad litem compositos inspicio, quod summâ cum libentiâ confectum iri iamdudum animus præsagit meus.

Equestre vobis Oppidò arridebit, quibus Achillei pedes non sunt. Adest igitur Abaris sagit-

gitta ab Apolline donata, in amoris obsidē; quam cum emisisset, simul cum ea per aera ferebatur, pluresque Prouincias, summâ cum celeritate peragrabat: At hoc equo qui vehi cupiet? Adest proinde Equs Sophoclis, & si in prouerbium hominis abierit, cui imbecillum latus præ senectâ, animus integer, & vividus: Adsunt Dimus, & Phobus Martis Equi biiuges, quorum

— vngula terram
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat:

Adsunt & Baleus, & Xanthus genere immortales;

Pegasus græci sermonis peritissimus, quos in Achillis funere lachrymis etiam indulxisse canit *Homerus Eliad.* 17.

— lacrymæ autem ipsis
Calidæ ab genis fluebant in terram lugentibus.

Caligulæ etiam adest Incitatus, cui magni honores habiti, & dona pretiosa facta (cuius causâ pridie Circenses, ne inquietaretur, vicinilæ silentium per milites indicere solebat) præter equile marmoreum, & præsepe eburnum, instruxit purpurea tegumenta, monile è gemmis; domum etiam, familiam, & supellectilem dedit, quo lautius nomine eius con-

vivæ exciperentur; eidemque ad prandium invitato inauratum ordeum appoſuit, vinum propinavit aureis in poculis, & pollicitus eſt Conſulem ſe ac Flaminem renuntiaturum. Vt ex Dione confirmat Iſaac Caſaub. in Animaduerſ. in Suet.

Adeſt Ælei Veri Imperatoris Volucris, cui aureum ab eodem Simulacrum erectum accepimus in Capitolino.

Pientiſsimus, vt ita dicam, Lænei equs, qui ob oculum à Deo redintegratum ad templi cavedium adhiñijt, ſeque veluti oſtentans ad aram vſque, non ſine ambitione procurrit; denique circa gradus ſe volutans falſo Deo Servatori, quo poſſet modo gratias agere præſetulit. Teſte Æliano.

Neronis Aſturco, qui poſteriore corporis parte, in ſpeciem Simiæ, per quieté defeciſſe viſus, & tamen capite integro hinnitus edidiſſe canoros oſtento fuit, quod illa quâ præſtabat ferocitas, in Simiæ ludibrium eſſet habitura.

Adeſt & equs Probi Imperatoris, qui Authore Vopiſco, centum in diem conficiebat milliaria.

Vel adeſt ille quo Armeniæ Reges, ac Sapatræ Traiano Imperatori obviam proceſſere, multa inter munera pretio non infimus, gratiâ certè ſummus, doctus ſcilicet flexis poplitibus, Cæſareum falſum numen veluti adorare, & ſubmiſſo ad pedes capite, favorem illius bru-

brutè, vt ſic dicam, humanitatis officio e-
blandiri.

Aut, ſi mavis, tibi dabitur Equs Scandembergi, quo humanis rebus erepto, nullius vnquam ſeſſoris, inſtar Bucephali, patiens fuit, quin & pertinaciſsimè pabulo abſtinuit, nec graminis attigit herbam, quouſque inediâ ſimul & deſiderio, vitam finierit, niſi me fallit Barleſius.

Deinde Pallantis Æthon, licet ob iuvenis immaturam necem vberes eliqueretur in lachrymas. *Si Maroni fides*.

Poſt bellator equs, poſitis inſignibus, Æthon
It lachrymans, guttiſq; humectat grandibus ora.

Vel etiam Amiclai
— domitus Pollucis habenis
Cylarus. —
Vel Adraſti
— Ante omnes rutilæ manifeſtus Arion —
Igne iubæ.

Vel Equs epiphiatus Domitiani qui

— Domini nunquam mutavit habenas,
Perpetuis frænis, atque vni ſeruijt oſtro.

Aut Equs ſternax Iulij Cæſaris inſignis pedibus prope humanis in magnum auſpicium imperij,

perij, plenumque animum Spiritus & pompæ, cuius ſpumantia labra pluviam etiam ſtillant niueam, inter aurea fræna liquentem.

Aut Bucephalus Alexandri, ita dictus ab aſpectu torvo, ſeu ab inſigni taurini capitis armo: imbreſcit formâ ſpectabilis, ſed ita ingenio ferox, vt planè nullus eum ne quidem tangere auſus fuerit, præter Macedonem Imperatorem: Ob cuius honores Magnus Dux conditum a ſe oppidum, Bucephalon appellauit.

Aut Equs Scythæ Reguli, â quo, cum ex provocatione dimicans occubuiſſet, hoſtem ictibus morſuque confectum eſſe commeminit Plinius.

Vector etiam, & comes fidiſsimus eius Clælij Equs, cuius hiſtoriam cedro, & ære dignam libeat ſubtexere. Cannenſi clade vulneribus confoſſus Clælius pro mortuo relictus erat, albeſcente die pugnæ locum Annibal petijt: iacebant laſſa corpora, trunci artus, miſti ſemimortuis mortui, atque inter iſtos Clælius, qui ad ſtrepitum adventantium caput ac linguam movens, extremam vocem effudit cum gemitu; agnoſcens ſingultientis Domini lamentum Equs, quem captum Numida iuxta Annibalem inſidebat: aures arrigit, & acri hinnitu edito, proſiliens, ſeſſorem humi ſternit; præceps currit per cadauera, & in ore Clælij iam demortuo conſiſtit, quem cum

moue-

moveri non cerneret, collo atque armis subsidentibus invitat ad scandendum: viso illo, Annibale miserante, & fidem belluæ demirante. Certè humanam animam hoc pectus habitasse quis non dicat! perpulchrè *Silius lib.* 1.

Quas inter strages, & vasta cadavera belli,
Siminecem extremo vitam exhalarat in auras
Munere deficiens iam Clælius, oraque nisu
Languida, vix ægrâ, & dubiâ cervice levabat.
Agnovit Sonipes, arrectisque auribus acrem
Hinnitum effundens, sternit tellure Vagesum,
Quem tum captiuo portabat in agmine dorso;
Hinc rapidum glomerans cursum per lubrica pinguis.
Stante cruore soli, & mutilata cadavera cæde,
Euolat, ac domini consistit in ore iacentis.
Vnde inclinatus collum submissus & armos,
De more inflexis, præbebat scandere terga
Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.

Vobis tollit hinnitum aptâ quadrigis. Equa Phidolæ Chorintij Athletæ, quæ domino ab ipsis cursoribus excusso, cursum pristinum æquè ac si sessorem habuisset retinuit, conuertit se ad metam, excitavit ad turbam, stetit ante ludorum præfectũ victoriæ compos. Æleij autem Phidola victore renuntiato concessere, vt Equæ simulacrum dedicarent.

Ne-

— Neque enim vltima laus est
Pro Domino pugnasse suo.

Denique restat Seianus Equus, quem optarem, nunquam habeatis, hunc habuit Cn. Seius inusitatâ magnitudine, omnique alia Equorum laude præstantissimum, ac vt creditur ex eorum genere, quos Hercules occiso Diomede Argos perduxit, eo tamen fato hic fuit Equus, vt quisquis eum possideret, is cũ omni familia interiret. Primus huic Equo dominus extitit M. Antonius, qui post Triũviratum constituendæ Reipub. fuit damnatus, & crudelissimo affectus supplicio; deinde Cornelius Dolabella hunc H. S. idest sestantibus centum millibus emit, qui & ipse à Cassio victus, in prœlio occubuit. Ab hoc ad Cassium victorem Equus pervenit, qui ab Antonio victus sibi manus intulit: Nec multò post Antonius Victor, ab Augusto victus simili mortis genere perijt. Vnde in proverbium abijt, Equum Seianum habere, pro hominibus calamitatibus oppressis. Quod si huiusmodi Equi displiceant pręsto aderit Pegasus quo solo Poetæ Astrologi Apogripho per nubes equitant, seque sistunt ad Hippocrenen, nam teste Nasone.

— huius origo est
Fontis, & ad Latices deduxit Pallada sacros.

De-

Demum ne Symbolum tantum ad mensam, verumetiam ad iter nobis suppeditet.

— volucres Piroeis, Eous, & Æthon
Solis equi, quartusq; Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis complent, pedibusque repagula pulsant.

Ingenitâ omnes generositate ferocientes, versicoloribus variegati maculis, gemmisque inoculati; bullis, & eminenti inaurato epiphio superbientes: Quam se se ostentant gloriabundi discriminatâ comâ, temulo capite, iubâ pectinatâ, stellatâ fronte, tenui alvo, maculoso tergo, armo nitido, pede gracili, comanti vertice, animosoque pectore toris luxuriante: Arrectæ rigent aures, breve nutat caput, nares hiant patulæ, fulgurant ardentes oculi, spumantes pestrepunt lupini. Si flexus ac reflexus inire placeat, leviore mòdo cursu, modo pleniore, laxis tùm habenis incitatiores feruntur, indè solutarij molliter, inde gradarij incedunt: tùm subsultim, tùm saltuatim; mòdo in gyrum se commodè flectunt, mox aperto curriculo præcipitant, subitoque ex incitato cursu consistunt, declinant, incursant iidem, atque invadunt, latus præbent: postrèmo quasi ductili, ac lento corpore ad sessorum se statim motus componũt, in omnem partem inflectunt.

Ha-

Habetis itinéris vectores pernicissimos insistite, calcaribus agitate, & quo felix sit profectionis eventus, Mer curio Nomiginio, lapides addere, serta suspendere monet Alciatus, è veterum consuetudine *Emblemate* 8.

In trivio mons est lapidum: supereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurij est igitur tumulus; suspende viator
Serta Deo, rectum qui tibi monstret iter.

Commendatio Rusticani Recessus.

HOc ritè officio persoluto arva beata petamus ardua diuites & hortulos: enimvero ab hominum frequentia, & negotiorum tumultibus, secedere oportet, qui commodiores vrbibus sunt ad sapientiam, ad mores, ad voluptatem, ad fructum. De Sapientia, quis nisi amusus ambigat, quin illic aptior ad eam animus, vbi is liberior & magis sui juris. Rectè *Senec.*

Magna & spatiosa res est sapientia,
Vacuo illi locus opus est.

Quæ quidem capacitas animi vacui & soluti ad lite-

literas condiscendas vix haberi potest in vrbibus; vbi non tua tantum, sed & aliena tibi negocium facessunt negocia.

Spernit mehercule naturâ suâ includi cælestis ille sapientiæ ignis; aerem amat & campos: Vt generosæ indolis belluas cauea domat & frangit; sic altas mentes vrbicus ille carcer: Equum ad cursum apertus & liber circus provocat; animum ad studia vagans, vacansque aura: Amænum syluæ viridantis decorem videt? Hîc carmen, auet aut hymnum Deo pangere. Horti illam purpuram Zephyri iocantis labello ventillato? Hic cum libellis suis discumbere:

E gramineâ crepidine fontem suis ebrium liquoribus, se in varios obliquantem rivos, lymphasque angusto alueolo immurmurantes? ad eum, altiori cogitatione abijci: & nocte ipsa, aut sub eam, pictum illud, patensque cælum capiet, & inter tot stellas errantes, aut inerrantes, à curis terrenisq; erroribus, mente scandet super illas.

Adde quod hic altum securumque otium: Nemo qui appellet, aut interpellet, & amicissima semper studijs quies, ac solitudo. Planum igitur est quæ in hac parte ager ante Vrbem habeat locum; nec vanè à Columella scriptum in Præfatione. Res rustica proxima, & quasi consanguinea sapientiæ est. Et Mausonius apud Stobæum. Sanè inter om-

nia

nia opera agricolturæ, illud gratum, quod multum ingenio concedit, ac meditari aliquid disciplinis incumbentem sinit. Prudentius non infimi subsellij vates 2. *in Symmac.*

O! Felix nimium Sapiens, & rusticus idem.

Supra omnes Maron.2.*Georg.*

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis avari,
Fortunatus & ille Deos, qui novit agrestes.

Facem quoque nobis prætulere veteres aliqui sapientiæ origines; Et in primis Tullius villam extruxit ad Auernum lacum spectādam porticu & nemore, quam vocabat Academiam, Et quidem Aristotelis, Licæo, Zenonis, aliorumque Philosophorum Museis salubriorē; Ex eâ enim post Tullij obitum fontes calidi erupère perquam oculis salutares, fortè vt eis lucem inspergerent, si qui in quærendo recessu, & solitudine caligarent, vti modulatè dixit Laurea eius libertus, ac certè ingenio, & animo planè ingenuus, & liberalis apud Plinium.

Quo tua Romanæ vindex clarissimè linguæ,
Sylva loco melius surgere iussa viret.

Atque

Atque Academiæ celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore vetus.
Hinc etiam apparent Lymphæ non ante repertæ,
Languidaque infuſo lumina rore lavant.
Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hos fontes cùm patefecit ope:
Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem;
Sint plures, oculis quæ medeantur aquæ.

Itaque Cicero ab vrbanis negotijs abductus agrorum ſolitudinem, ante ciuitatum comercia ponebat, vt qui noſceret quantum illarum ſtrepitus, ſapientiæ ſtudium interturbaret, ruris verò ſilentium, & quies maioribus indies incrementis promovere.

Hoc denique nos conſultè monuit Romanę Lyræ fidicen Horatius, ſuam enim tarditatem excuſans in mittendis ad Iulium Florum carminibus, hoc cauſæ affert, quod in vrbe verſetur clamosâ, & inquietâ, vbi operum redemptores Sæmentarij perpetuò circumſtrepunt torquendis lapidibus, ponderibus, trochleâ, & tympano ſubſtulendis, vbi moliones, & geruli indeſignenter vociferantur, vel fatiſcentes ſub oneribus acutiorem ducunt anhelitum: vbi vehicula, & funera luctantur in viarum anguſtijs, ac turbas cient: vbi lamentabili nænia ſtipem erogant mendiculorum centuriæ: vbi circumlatorum præſtegiæ, & Athlanciæ fabulæ lectiſſimæ indolis viros

in foris publicis, ac trivijs ociosè distringunt: vbi denique muliercularum clamores, infantium vagitus, domestici seruitij itus redditusque, & confabulationes mentem aliò solent avertere, ac per omnia studentibus incommodare; tunc sic epistolam claudit.

I nunc, & versus tecum meditare canoros,
Tu me inter strepitus nocturnos, atque diurnos
Vis canere.

proindeq; ab eodem dictum:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbes.

Nam inter nemoris vmbras, splendidè de Repub. disseruit Cæsar. De Eloquentia tractavit Hortentius: Philosophiam coluit Tullius: Historiam scripsit Salustius: de Natura Aristoteles: de moribus Socrates disceptavit.

Quod si me ad vitam moresque vocatis, bona fide, quod loci vel vrbis iudicem, illa innocentior, & hi probatiores: Veritas exprimet quod in agris. Oculos paulisper conijcite in magna illa, & commercijs crebra oppida: mentiar nisi ambigitis, cætus illic hominum, an colluvies vitiorum, affert enim seorsum suam quisque noxam, quam misti vulgant,

& ve-

& velut contage tradunt invicem, capiuntq; morbos animorum. Illic ſiquidem gliſcit avaritia,ſtabulat libido,regnat ambitio,ſævit diſcordia, graſſatur impietas, & fons omniũ ſcelerum manat, ſui originem ex crebro illo inter ſe aſpectu occurſumque eſſe nemo vnus deſitebitur. Itaque prudentes olim Legumlatores, & qui ſemina iecère boni ſtatus, ciues ſuos plurimum ab vrbe & conventibus abductos habere voluerunt in agris, quos ad probitatem, & modeſtiam,robur,gymnaſium cenſuere & palæſtram: Enim verò teſte Politiano in Ruſtico agreſtis vitæ

Nempe odij, fraudumque expers.

Et Silio lib. 13.

— & fraudum illæſa veneno.

Nec non Val.Flac. 1. Argonauticon.

— arvorum ſtudiumque inſontis aratri.

Appoſitè Romanus Orator pro Roſcio Amerino. Vita ruſtica, quam nos agreſtem vocamus, parcimoniæ, diligentiæ, ac iuſtitiæ magiſtra eſt, maximè diſiuncta à cupiditate, & cum officio coniuncta.

Et Xenophons in Oeconomicon. Vbi Dijs litaturis præmiſſiæ decentiores, & dies feſti lætiores.

Plin. Senior lib. 3. cap. 3. Quem virum bonum colonum dixissent, amplissimè laudasse existimabant.

Ad hanc rem confert Veterum existimatio, qui Deos putabant æuum agere inter silvas, agricolarum captos societate, quod allusit Plinius Iunior in Paneg. Traiani. Inter hæc pia mente adire lucos, & occursare Numinibus.

Id etiam Senec. Epist. 41. Si tibi occurrit vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis frequens lucus, & conspectum cæli densitate ramorum aliorum alios protegentium submovens illa proceritas siluæ, secretum loci, & admiratio vmbræ in aperto tam densæ atque continuæ fidem tibi Numinis facit. Et Virg. 2. *Georg.*

Sacra Deûm, Sanctique patres; extrema per illos
Iustitia, excedens terris vestigia fecit.

Polium quoque integrum animi scelerisque purum commendat Statius à Surrentino, quò virtutum amans secesserat.

— vitio sublimior omni
Exemptus fatis, indignantemque refellis
Fortunam.

Quid magis verè, quid magis ampliter dicam, quam Senec. in Hippolyto.

Non

Non alia magis eſt libera, & vitio carens,
Rituſque melius vita quæ priſcos colat,
Quamquæ relictis manibus campos amat:
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Non aura populi & vulgum infidum bonis;
Non peſtilens invidia, non fragilis favor &c.

Bald. 7. Silvar. ode 8.

Non illuc curis fas eſt mordacibus ire,
Pedem nec intrò ferre luxus audax.
Error abeſt ſciſſoque gerens velamine luctus,
Furorque præceps, & laborantes metus.
Quæque coli templis furioſa pecunia poſcit,
Falſoſque matris mentiens vultus honor.
Hic habitat virtus extrema vtrinque reducta,
Pudorque cautus, & comes modeſtiæ.
Temperies animi molli procumbit in vmbra,
Placiduſque apertis riſus è conchis biat.

Et Lyſius in Centurijs.

Ille eſt par Superis Deis,
Et mortalibus altior,
Qui fati ambiguum diem
Non optat levis, aut timet:
Quem non ambitio impotens,
Non ſpes ſollicitat lucri;
Quem non concutiunt metu
Regum præcipites minæ,

Non telum implacidi Iovis,
Vno sed stabilis loco
Vulgi ridet inania,
Securòque oritur dies,
Securò cadit & dies.

Multa quidem pulcherrimi Cothurni omitto, quia iam me ruris voluptas allicit, quæ tamen hic tam obvia, vt indignum sit super ea movere litem.

Contemplamini Solem: melius in agro nitet. Aerem, lætius, latiusque diffunditur, & ridet. Aquas, purius ex ipso fonte bibuntur. Terram hic tantum vero suo vultu moratur oculos intuentium, iam alibi in planiciem effusè porrigitur; alibi in collem placidè assurgit, aut magis rigidè in montem; illic herbis, & spontè natis arbustis veluti nativo peristromate circumvestitur; hic fruge fructibusque, & fæliciore ligno vsque ad certamen ditescit. Quem non oblectet tam varius adspectus, & vultus magnæ matris? Iam vos ad tugurium recipitis: hic prorsus gaudiorũ & amœnitatis domicilium: mane surgitis: ad musicam quidem; & circumsonant vos ac veluti salutant aviculæ fritillantes, ac minurientes, quæ vel agros ipsos (si sentiant) mellitæ vocis flectionibus exhilarent. In hortum prospicitis? quocunque incidunt oculi reficiuntur; Flora enim vbique rosarum pur-

purpurisso, & cerussâ illita demollissimâ iacentium florum, ac herbuscularum texturâ quasi interula prata convestit, & nativis armillata fulgoribus diversicolorem vibrat ad Zephyrum vndatili fluxu refluam, floream vernantis naturæ Chlamydulam.

In pratum oculos circumvolvistis? occurrent, si verè novo, arbores, odorâ quâdam, & canâ nive resperſæ, eædemque sub Autumnum alię pomorum purpurá, sive cerâ discriminatæ. Propiùs easdem aspicitis, insitiones mirabitur quisque & matrimonia quædam nova, atque adulteria inaudita; suppositos fætus insciâ matre, nec invitâ.

In fontem contenditis? pillucidâ ille crystallo clarior, aquarum belle candentium, scatebrosâ percutione adstrepit, & susurrat, somnos quod invitet leves; quorum omnium quæ copia in vrbe sit? quin ne imago quidē satis certa & expressa.

Ad extremum superest fructus, quem indubium vocare non licet, cum non solùm cultus, & ornatus vitæ ab agris sit, sed vita ipsa. Pereat enim agricolatio, & vnà casu involvet humanum genus: Addite illa commoda harum: aut hædum â stabulo, pullum è corte, porcellum ab hara, & tot inemptas dapes, quas homines ægrè, & charè præstinant à foro, aut à macello. Quod si opes quis ambiat & aurum, nullibi parandi maior seges,

& materies est; non palatia, non fora, non fænora plures tam citò, atque innocenter evexerunt ad opes. Et quidem Thaletem memorant hyeme quadam emptu prospero olivarum ingentem vim auri corrogasse.

Hic agricula in reducta valle mugientium prospectat errantes greges: hic multa cane apros trudit in obstantes plagas, edaces turdos, pavidum leporem, & advenam laqueo gruem, iucunda captat præmia. Præbelle Cato Maior Hominum generi vniverso cultura agrorum est salutaris: nulla vita beatior esse potest; neque solùm officio, sed & delectatione, & securitate copiâque rerum omnium, quæ ad victum hominum, & cultum etiam pertinent. Et Cic. 1. offic. Nil omnium rerum ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agriculturâ melius, nihil vberius.

Claud. 1. *in Ruff.*

Hæc mihi paupertas augustior, hæc mihi tecta
Culminibus maiora tuis; tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos: mihi donat inemptas
Terra dapes &c.

Modo superest quandoquidem *Æneid.* 6.

Largior hic campos æther, & lumine vestit
Purpureo.

Inter

Inter amicam Rusticorum felicitatem mensam instruere, iam enim vos video præ longa itineris agitatione defatigatos, & quasi crebris mussitare sermonibus nimis longum vobis parari convivium. —*nullæ hic insidiæ tales absistite moveri*: convivas displicet morari:

Vbi illa, quam cernitis, villa in collis vertice sita, & sensim clivo fallente consurgit, quem cum ascendère non putetis ascendisse sentiatis.

Ad fontem, diuina dedit cui Magdala nomen.

Vos conferte: neu fatigemini cogitationibus, ad mensam accedite; cum ne præ vnius tantum cibi multitudine geniorum stomachos in nauseam provocarem, operæ pretium duxerim, ex Omnigena Eruditionis varietate selectas & exquisitissimas epulas non oris, sed mentis palato degustandas, vnicuique vestrum apponere, vt prolixius citra fastidium exhibeatur convivium.

†



Dc-

Deſcribitur Villæ ingreſſus.

QVa villa vmbriferos latè ſpatiatur in agros,
Ampla ſuperbifico ſplendeſcunt atria faſtu
Atria regales circumreferentia ſumptus.
Veſtibulum ante ipſum villáque in limine primo,
Porta novum manifeſtat iter, longo ordine circum
Gemmaſcunt flores, & amœna roſaria vernant.
Hâc ad clauſtra domus nemoris via ducit euntes
Florida, cui ramis vmbracula nectit vtrinque
Fraxinus, & ſalices frondentia brachia pandunt.
Huius ad extremum ſaxis tecta alta renident
Villæ opus auguſtum, faſtigia celſa, domuſque
Antiquum teſtantur opus, Pallatia regum
Aſſimilant, Authorem operis ſaxa ipſa fatentur
Magnificum, tanto ſplendeſcunt atria luxu.

Deſcribitur Sacellulum in anguſto aulæ cavædio incluſum.

PRincipio ante oculos primâque in fronte domorum.
Ampla, & vaſta ſatis caput exerit aula, feneſtras

Sex aperit, sic optat enim studiosa videri,
Vt videt intrantes, & deprædatur ocellos.
Illa Caledonij velut ardua Regia Cyri
Porrigitur, latoque extenditur æmula tecto.
Hic aulæ parte extremâ, qua septima laxis
Ianua consurgit foribus mirâ arte sacelli
Angustum fabricatur opus, testudine curuâ
Fornicis in morem erigitur, tectoque superbit.
Magna Syracusij sileant miracula iam nunc
Ingeniosa senis, parvo licet ille theatro
Ordine sydereos incluserit orbibus orbes;
Nam maius spectatur opus, breviore sacelli
Interclusa solo melioris syncopa cæli est.

Describitur Sacelli Ara.


FVndamenta super lapidum stat pensilis ara:
Hinc inde assurgunt latera, & laquearia lucent.
In medio stat Virgo Parens animosa renidet
Effigies seu viva foret, complexa puellum
Blanda fovet gremio, atque oculos deiecta modestos
Ipsa sui pueri doctissima Virgo Magistra est,
Conscia quis gremio discat Deus; ipsa lituris
Prima rudimenta edocet, atque elementa ministrat.
Inde tamen libro intentus puer hæret ocellis
Discendi studio, & bibulam bibit aure Magistrã

Ob

Oh puer! adiſce Æterni ſapientia Patris
Adiſce hinc humilis, mitiſque aſſueſce vocari,
Materno cum lacte bibes virtutis amorem.

Deſcribitur Sacelli fornix inauratus.

T*Ecta ſuper foliorum errat Labyrinthus in orbes.*
Laſcivuſque plicat, cava per laquearia tractus:
Illic veris opes, il lic nova gratia prati,
Ridet, & Alcinoos in prælia provocat hortos.
Se teſtudineus radianti margine campus
Induit in flores; roſa ſentibus horrida tactu
Indignata legi, iactans diademata florum
Purpurat, albeſcunt nemora inter candida rubris
Lilia miſta roſis, eboris comercia & oſtri:
Non hic ſplendor abeſt vitro intromiſſa feneſtræ
Lux nitet, & totam radijs illuminat aram;
Hanc etiam reſerant revoluto cardine poſtes,
Quas ſuper extremum Crux aurea claudit honorem.



Deſcribitur amœnus nemoris locus vbi Fons D. Magdalæ dicatus errumpit.

Hinc iter ad fontem, taciti prope fluminis vndam
Sylva aperit, circum cui grata ſedilia buxus
Format; & intrantes tonſis velut excipit vlnis.
Hæ propriæ ſædes, hæc eſt Domus apta Camænis,
Quandoquidem æſtivo cum ſæva Canicula menſe
Ardentes vomit ore faces, quando impius orbe
Phæbus anhelat equis, & tellus ignibus ardet:
Tunc nemoris locus iſte placet, tunc regnat in vmbris
Dulcis hyems; flatu tunc ſibilat aura benigno.
Huius ad extremum patrium ruiturus in amnem
Fons oritur, divina dedit cui Magdala nomen
Flendo (tanta fuit lachrymis conceſſa poteſtas
Vt geminos mutare oculos in flumina poſſent!)
Oh fons! Oh potius divina Arethuſa! figuram
In fontis mutata novam! procul ite liquores
Caſtalii, procul hinc lætus procul exulet amnis,
Cuius fama refert, quod riſus excitet hauſtu:
Hic mihi fons oculis latices dabit, ille fluenta
Abluere vt lacrymis vitæ ſcelera omnia poſſim.

De-

Deſcribitur lugentis Magdalæ effigies. Apud fontem.


HIc mirâ arte Deæ inſculpta eſt lugentis imago,
Vera nitet; iacet exeſo deflecta ſub antro:
Lumina ob adverſas veluti lacrymantia culpas
Ore natant, teneros artus tegit aſpera veſtis:
Fixus adhuc ſub corde premit dolor anxius! illam.
Credendum antiquæ comiſſa piacula vitæ
Solvere adhuc! lacrymas non ipſa in morte reliquit!
Nonne fuit ſatius pia Magdala ducere vitam
Inter ſaxa, interque feras, atque aſpera rupis
Antra cavernoſæ lacrymarum effundere fletus?
Sedibus vt ſaltem placidis poſt fata quieſcas,
Et noxam extingui credas iam poſſe malorum?
Talis in expreſſo ſtant marmore ſigna doloris.



Deſcribuntur figuræ ſupra fontem antiquo in ſaxo exaratæ.

T. E. D. O. E.

QVina ſuper fontem, in ſaxo quo diva refulget,
Signa notant impreſſa animum ſcribentis, in omnem
Monſtrantur partem, ſenſum confuſa legenti
Occultant, diviſa tamen ſtant ſingula puncto.
Aſt ego ne tantorum operum, ne fama Magiſtri
Vnquam abeat, noſco Authorem, *atque hæc ſigna docebo.*
T. *Tellius ille olim patriæ qui finibus.* E. *exul*
Hoc tibi fontis O. *opus pia* Magdala *rite* D. *dicavit*
E. *Exilij quondam ſimiles experta rigores:*
Vltima diſcedens ille hæc monumenta reliquit.



IN-

INVITATIO
AD SOLIS MENSAM
PARATAM
NON IN APOLLINE
SED
APVD MAGDALEVM FONTEM
Inter

Seclusum nemus, & virgulta sonantia sylvis,
Magdaleumq; locos placidos qui praenatat, amnem.

APPONENTVR CONVICTORIBVS.

C*Elebriores Pyramidum instructura.*
Mira Turrium & Obeliscorum architectura.
Insigniores Labyrinthorum ambages.
Splendidiora Speculorum artificia.
Puriora clypeorum metalla.
Suaviores canentium Lyrae.
Elegantiores Anulorum caelaturae.
Probatiores Gladiorum laminae.
Superbiora Navium rostra.
Artificiosiores Horologiorum inventiones.
Mensam sigillabunt innumerabilia ex omni eruditione monumenta.

FINIS

Laus Deo, Virginique Matri.

INDEX RERVM QVAE IN HOC LIBRO Continentur.

Rhetorica.

Breuia-

De

Peculiares salutandi Formulæ.

Equi-

Mensa Solis.

Scrip-

FINIS

LAVS DEO, VIRGINIQVE

MATRI.